DIUINORUM ET HUMANORUM DE FIDE LIBER EX IOANNE IACOBO PALAEMONIO...

Giovanni Giacomo Palamolla



DIVINORVM, ET HVMANORVM DE FIDE

LIBER

Pomey s. M. Reg. de Ribes

EX

IOANNE IACOBO PALAEMONIO EPISCOPO MARTIRANENSI

EMINENTIS., ET REVERENDISS. D. D. HIERONYMO CASANATE S. R. E. CARDINALI DICATVS.

Sciliani. Typis Episcopalibus Impressore Mario Barone Romano. 1681



EMINENTISS., AC REVERENDISS.

DOMINO S. R. E. CARDINALI

HIERONYMO CASANATE



Xhibiturus Eminentię tuæ aliquod meæ volũtatis obsequium, humiliter offero, et dico libellum hunc Fidei. Apud inclytum illum animi tui candorem, aliò quàm fidei munere adesse non poteram. Candore, quo splendes intra, longè minor est purpura, qua fulges extra. Latét intrinsecus meliora, quę possides. Probatorum editus genere, à maiorum probitate nõ degener. Parentes sortitus es claros, et gloriosos, et nihil tibi superbię ex gloria, et cla-

claritate parentum accessit. Paternę integritatis imitator eximius nullum egisti temporis punctum, aut meritis sterile, aut laudibus uacuum. Teneris adhuc annis viri firmitate lustrabas Proregum aulas, et tam pręclarum prębebas indolis specimen, vt ostenderes œui immaturus, sed perfectus ingenio cursum ętatis non expectandum in festinatione virtutis. Nusquam adolescens mouisti gressũ, quin vbique te gloria, velut vmbra secuta sit. Publicis commodis totus vacasti, et sępe te naturalium, necessariarumque rerum usurpatione fraudasti. Ibit in sęcula te fuisse nullius laboris impatientem, et maximorum operum actionibus occupatum, ad maiora iugiter properasse: Nihil tribuisse quieti, et à cęteris nõ distulisse, nisi sapientia, et lenitate. In animis omnium eras prędìtus ostro, antequam ostro splenderes. Gratulare, Eminentissime Princeps, natura, scientia, et moribus tuis, quod te talem siderum decreta formarunt, vt otiosus esse non possis, nec unquam illaudatus videri queas. Facta est auspicijs tuis augustior Roma, cuius vota diù producta non erunt. O' quid expectatur de tuis studijs incrementum! E' TVRRI, E' STELLA, quas in insignibus profers, quę fortitudo, quę gratia vniuersę manabit Ecclesię! Beneficio tuo Christi fides aduersariorum expugnabit insidias, et plagas mundi, quas semper agnouerat perduelles, obsequentes tandem amplectetur, et fidas. Interea, ne dedignetur Eminẽtia tua munusculum hoc meę deuotionis officiũ,

ęt hu-

et humaniter ſinat, vt ſub vmbra alarum tuarum ſenium placidè ducam, dum cœlum maiore, qua poſſũ cura precabor, vt Neſtoreos viuas annos, proſperoſque habeas etiam, vltra optata ſucceſſus.

Sciliani die ſeptima Septembris 1681

Eminentię tuę

Humillimus, ac deuotiſſimus Seruus
Io: Iacobus Palæmonius,
Epiſcopus Martirani.

AD

AD EVNDEM

EMINENTISS. DOMINVM.

Vade liber Romam fidei nacturus amantes,
Inter tesqua potest nulla nitere fides.
Hic iam sinceros cepere obliuia mores,
Et mundi fallax est in honore decus.
Spernitur æternum, et terre peritura petuntur,
Non sunt in votis firma, caduca placent.
Perpetuum nil splendet, vbi vel saxa labascunt,
Mœniaque assiduo cuncta tremore ruunt.
Inuenies zelum colles resonare, fidemque
Illic, et lętis plaudere flumen aquis.
Purpureum sancto mirabere odore Senatum
Virtutum pennis Ætheris ire vias.
Quo cãdore micãt, quę spargant lumina Patres?
Qua ui, quo superi spiritus igne calent?
Cælesti aduertes Casanatem ignescere flamma,
Diraque tartarei bella uetare stygis.
Voce ille, et calamo legum decreta tuetur,
Hydręque occiduę colla domare parat.
Ille Quirinalis dignissimus arbiter aulæ,
Romulei cętus non inopinus honor.
Imperijs natus, mores imitatus auorum
Delicias terrę temnit, et alta sapit.
Ille est, qui sensus sub rege pudore coercet,
Nec rea vult mundi, nec fugitiua sequi.

Flo-

Florentes annos, qui Palladis arte fefellit,
Et nequijt vana posse quiete frui.
Ignota ingenij cùm fuderat omina, nondum
Illi vestierat prima iuuenta genas.
Obscura ancipitis soluens ænigmata iuris
Sedabat querulo iurgia nata foro.
Salue illi dices, eius venerabere frontem,
Frontem, quam æternus laude coronat amor.
Olli turpis ficæ mens candicat inscia labis,
Et totus Charitum munere vultus olet.
Credes ex oculis regale emittere lumen,
Lumen, at in casto pectore maius inest.
Ambulat eximio laudum comitatus honore,
Illum quò virtus imperiosa vocat.
Læta illi in cunis risit clementia cœli,
Et circum astrorum fulsit amica phalanx.
Auspice iam tanto præsumere longa licebit
Gaudia, quæ finis nescia semper erunt.
O' quid in hoc vno nosces radiare! videbis
Ipsius insolita luce micare caput.
Obstupefacta palam ventura fatebitur ætas
Multos post annos non habitura parem.
Profer tu, Melite, steteras quo victa stupore,
Quando illum audieras verba diserta loqui?
Quandò illũ agnoras trãquilla per equora uectũ,
Indomitos Nereo reijciente sonos.
Forte quiescebat tanto vectore superbus,
Et potuit motus dedidicisse suos.
Dicite Picentes, qui lapsum ex axe putastis,
Non homines talem progenuisse virum:
Duxistisne alias forsan felicius æuum,
Quam quãdo in vestris luxerit ille plagis?
Illum mirata est arx Vaticana iuuentem

Ro

Romani imperij iura, Petrique vicem.
At non est fas tot percurrere carmine facta,
Tam magno ingenio est nostra Camæna minor.
Summa dies aderit, qua cinctus tempora serto
Gratior in terris conspiciendus erit.
Cùm celebres referet cœlo plaudente triumphos,
Et mundum discet ferre latinus Atlas.
Tunc alma in toto Pietas reuocabitur orbe,
Et vera in cunctis spes remeabit agris.
Vber sponte sua campis flauescet arista,
In dulces saliet quælibet unda dapes.
Lucidiora omni rutilabunt sidera mundo,
Ridebuntque nouis florida prata rosis.
Ergo nate Liber rigido sub climate, et inter
Præcipites latebras, horribilesque feras,
I celer ad nitidam pacati Principis aulam,
Splendet vbi tyrio murice cana fides.
Felix illius sublimi Turre quiesces,
Ventorum quoties sæua procella furit.
O quam grata suo sub sidere sæcula duces,
Lethæi haud metues fœda venena lacus.

Pro-

Prologus.



Ecessaria ad salutem est fides Christi, quę nisi uigeat, spirituum non concipitur magnitudo, nec unquã uirtutum percipitur incrementum; quę nisi affluat, Spes non prodest, immò confundit, et in mercedem benedictio non festinat, nec fluuius gratiarum inundat. Quę lucerna lucere potest, si Christi nomine, quod oleum sonat effusum, non lucet? Qui flores olent in pratis, si fons Saluatoris prata non irrigat? Qui ex fide sunt, Abrahę filij sunt. Non habentibus fidem Christi, nec aue dicendum est. Odit amator Christi consortium perfidorum, et amicitiam cęlitum petit. Non quę super terram, sed quę sunt sursum, expectat. Pietatis timore confixus quęrit assiduè sibi oculos aperiri, ut legis sacramenta scrutetur. Principium fidei Christum agnoscit, et ambulat tantum in uia, quę Christus est. Extra Christum fides non est. Defluit ex inspiratione diuina, non ex sapientia humana, et nec carne, nec sanguine potest attingi. Vna est, in omnes gentes effusa, et expers omnium possidet omnia. Cui Christus est portio, totius naturę dominatrix, et rectrix sentit sibi uniuersa seruire. Etiam in corpore angusto dilatat cor, et transit illęsa per ignem, et aquam. Repudiat funditus

quę videntur, tanquam tempori obnoxia; quę non videntur, diligenter affectat, tanquã nescia temporis. Concupiscit lac sine dolo, et adolescit in splendore Sanctorum. Vniuersis promittit hęreditatem, quę tantò magis singulis crescit, quantò magis vsurpatur à pluribus. Nulli hęredi minuitur quicquid à cohęredibus vindicatur. Integrum vnicuique manet emolumentum. In terris fide nil maius, seù quòd nesciat à iustitia semoueri, seù quòd terrę illecebras aspernetur, seù quòd nouissima intelligat. Vbi fides, ibi potestas. Ignorare confestim carnis opera potest, et aurum igne probatum emere solum à Christo. Descendere in stadium semper appetit, et nisi Dei zelo, non vult propagari, nec ali. Felix, qui zeli nouerit disciplinam. Fidẽ, quam non elongat à brachio, vt signaculum ponit in cor. Iugum Domini experitur suaue, et in lumine semper est. Iniurijs frangitur nullis, nullisque perturbatur periculis. Aduersis non deijcitur, nec secundis extollitur. In cedrinis tabulis habitat, bonum certat certamen, cursum perficit coronatus, et Verbi decore captus festinat ad nuptias Agni.

Quid sit Fides, et unde oriatur.



Ides signorum mater, bonorum omnium fundamentũ, cuius ui sidera à cursu deficiunt, cuius iussu discunt progredi montes, cuius radijs emicat nox, animę uirtus, et pretiosa supellex est: nunquam uersatilis, ne rumpatur: semper rutilans, ne pallescat. Prouenit ex auditu, et sub aspectum non cadit. Innititur ueritati, et fingi non potest, dolique capax non est. Donum Dei est, progenerãs gratiam, sine qua tutè Mundi pelagus non transitur, sine qua palam salutis iter non patet. Contumacię crimina respuit, et armorum non eget pręsidio. Licet careat denfensore, per se ipsa denfenditur, et homini quęcũque contingere queant, existimat subter se. Ignara scientię rerũ sperandarũ amplexatur affectus, non apparentium prestolatur honores. Credit, quod sperat: comprehendit, quod non apparet: asserit, quod non capitur: quod non cernitur, ueneratur. Periculis, ut aurum igne, probatur: nec morte terretur, quo minus in pericula ruat. Futuri seculi meditatur delicias, et ęternum pollicetur imperium. Iucundissimo splendet ornatu, ut cogitari nil ultra possit. Graditur intra legem, et confusionem non timens, nec labori, nec discrimini parcit. Laborat citra fastidium, concupiscit citra mœrorem. Inquirit in tentatione profe-

ctum, et poscit Dei uisionem in premium.

Fidei caput est Christus.

FIdei principium ne perquiratur in terris, si catholice fidei caput est Christus, qui regnat in celis? Vbique gentium fulget intacta, et à primis usque perducta temporibus coluit probitatē. Quicquid credidit Abrahā, in Christo completum est. Promulgatum in Christo est plenitudinis tempus, è cuius plenitudine rerum uniuersitas restaurata est. A' Christo sumpsit initium illius operatio gratie, que speciatim singulis est diuisa, prout sancto Spiritui placitum est. Letanter tunc aque uiue ceperunt hauriri de fontibus Saluatoris, et sitientes uocati sunt omnes ad aquas. Ceperunt tunc sciri, que sursum sunt, et contemnere cuncta terrarum existimatum est decus. Quando largiter affluebat peccatum, instituta sunt affatim beneficiorum exordia. Gratuitò patuit peccati lauacrum, et toti Generi humano concessa est salutis noua natiuitas. E' celo fluens una tantum est fides, que aliter, quàm fide non queritur, et quam querere nemo potest, nisi preueniatur, ut querat. Hanc unam habenti, non aufertur, quod habet: hanc unam non habens, laborat in uacuum, et in benedictionibus non persistit.

Appellat omnes ad fidem humanitas Christi.

Salu-

SAlutis tandem patefactum est iter, et à salutis itinere declinare, delictum est. Venit in mundum, qui mittendus iam erat, et excusationi locus non est. Accensus est ignis in terra, et non est sine culpa, qui friget. Descēdit è cęlo panis, et fame non perit, nisi, qui uitam ducit cum porcis. Reseratum est ęrarium gratię, et nemini clauditur, nisi danti alienis honorem suum. Expulit Sol iustitię tenebras, et didicit adhuc nox lucescere sicut dies. Ambulare amplius in circuitu dedecet. Iam surgat, qui dormit, et fructus colligat lucis. Ambulet semitas rectas, et ad loca inuia, et inaquosa non redeat. Lumen cęli intueri assuescat, et hactenus in tenebris sedisse pœniteat. Synagogę ruinis excitata est Ecclesię dignitas. Omnes appellat ad fidem humanitas Christi: profert omnibus spem: pulsat omniū corda charitatis incendio. Est marmor, est gelu, qui tanto amori non exhibet cor. Infans uagit in specu, et ipsa saxa compellit ad lachrymas. Tener frigore contremit, et ipsas stellas inuitat ad ęstum. Iacet nudus in paleis, et ipsos Angelos adhortatur ad cantus. Maiestatis oblitus habere mortales uult in delicijs. Cupit à cunctis amari, et Agni nomen usurpat. Odores undique spargit, et amplexus promittit, et oscula. Libertatis decreta promulgat, et hęreditatem adornat, et regnū. O quid iucunditatis spirat à uultu! O quod eloquium promit ab ore dulcisonum! strepitus, inquit, armorum, et belli iam sileant, et enses uertantur in falces. Ecce largior gaudia

pacis, et exigo tributum amoris. Nouum uitę genus instituo, et pręcepta lenitatis erudio. Adsum è terris expulsurus ęrumnas, et cęli fores reclusurus amantibus. Harum pondera uocum humiles tantum accipiunt, et qui bonę uoluntatis coronantur arbitrio. Nullum patet superbis, et impijs, uel intellectus, uel consilij donum.

Introitus Fidei ianua salutis est.

IAnua salutis est introitus fidei, aperitur habentibus in ore confessionem, qua cernitur, quod non aspicit ocullus: auditur, quod auris non audit, et percipitur corde, quod in cor non ascendit; qua patescunt imperuia, deprehenduntur ignota, et comprehenduntur immensa. Clauditur carentibus scientia uocis, sine qua nulla diffunditur gratia, et animum turbat rerum confusio: itur per tenebras, et Solis iustitię non expectatur aduentus: ueritatis testimonium nõ admittitur, et sensus omnes gubernat error. Quicunque hanc fidei ingressus est ianuam, nactus est uitę spem, et scriptum habet in cęlo nomen. Hinc duplici amoris face gloriosum conficitur iter. Feruida Dei, et proximi charitas ducit gradientes ad solium. Amantibus tantùm cęleste promittitur regnum: amantes duntaxat à Sponso diuino appellantur ad oscula. Extra ianuam hanc non amatur, et sub mortis imperio uiuitur, prodigiosum pergitur ad exitium, et ęternas Erebi properatur ad pœnas.

Fi-

Finis fidei salus est.

FIdei finis est salus, cum sub peccati prejudicio natis datur ad iustitiam renascendi potestas, et donum fit libertatis, quod erat debitum seruitutis. Ex aqua, et Spiritu sancto regeneratio nouum instituit genus uitę, cuius anni sunt ęterni, et commercium est in cęlis. Quę semper in Mundo persecutionum est particeps, et sumit ab opprobrijs laudem, à iactura uictoriam. Comparat sibi ex suimet accusatione iustitiā, et spiritu charitatis ignescit. Gratiam haurit è calice, et nanciscitur uoluptates in cruce. Gaudia captat è pœnis, et inuenit in paupertate thesauros. Sęculo conformari non patitur, et omnem collocat spem in futuris. Respuit terrę, et hęreditatem expectat cęli. Erubescite, qui iuxta carnis facta uiuentes, anhelatis ex intimo corde flagitia, et frustra speratis in terra quietem. Cū uijs hominum via Christi non conuenit. Aliud allicit finis mundi, et aliud indicat finis fidei. Alter est maledictioni cognatus, alter est benedictioni conterminus.

Qui Credit, non titubat, nec uacillat.

COgitat cum assensione, qui credit, nec ratione, sed uoluntate mouetur. Credit, ut noscat, nec noscit, ut credat. Vacillationē excludit, et uisionis claritate non fruitur.

Credendo nil uidet, sed expectat uidere, quod credit. Intelligendum itaque non est, ut credatur, sed sanè credendum est, ut intelligatur. Merces fidei, intellectus est. Qui confidunt in Domino, intelligunt ueritatem. Cum fiducia congruit intellectus, et ubi fiducia deest, intus nil legitur ueritatis. Adest iustitia, si credulitas adest. Credentes Deo, cęlorum efficiuntur hęredes, et omnia possibilia sunt credétibus. Certa est depositi salus, cum creditur, et in speculo fidei cernitur futurę uitę tranquillitas. Intelligitur pręmij magnitudo, si solum pręcedat intemerata credulitas. Ei, qui credit, nulla unquam accidit lęsio, suę conscientię testimonio gaudet, et lętitia semper exultat inenarrabili.

Humanitas Christi est cunctis actibus fidei mirabilior.

MIrabiles actus fidei referunt aduersaria ueritatis, sed mirabilior cunctis est humanitas Christi: ubi subditur humilitati maiestas, uirtuti adhęret infirmitas, et induit mortalitatem ęternitas. Vbi Dei Verbum serui suscipit formam, et Angeli Dei resonant pacis libertatem in terris. Tunc uno in Verbo iuncta sunt ima summis. Dedidicit umbras nox, apprehenderunt tenebrę lucem, factum est capax glorię genus humanum, et renouata est Vniuersi natura. Apparuit tūc in terra flos campi, et nacta est omnis planta suauitatem odoris. Visus est speciosus prę filijs hominum,

qui

qui flumina gratiarum effundēs, omne animal benedictione refercit, et quod erat adhuc indignum, adaptat ad oscula. Oblitus est Adę principia Mundus, et cępit à Christo nouitatis suę numerare primordia. Pulchritudinis tuę, Beatissima Virgo, succensus amore, in terras delapsus est Deus. In uno crine colli tui ligatum se sensit: in uno oculorum tuorum uulneratum se nouit. Vbera tua uino cęlestis iucunditatis censuit pulchriora: tuorum uestimentorum odorem aromatibus Paradisi arbitratus est gratiorem. Amplius morari non poterat, et ad currendam uiam exultauit, ut gygas. In te solum habitaturus locum aliò non inuenit. Dūmodò tuis foueatur amplexibus, carere pannis gauisus est. Apud te magis in stabulo lętatus est humiliter diuersari, quàm inter sidera ponere tabernaculū suum in Sole.

Quare Incarnationis mysterium non celebratum sit antea.

SErò impletum non est, quod semper est creditum. Opus tunc erat medicamen augeri, quando excrescebat infirmitas: tunc affluere gratiā, quando abundabant errata. Negotium ęternitatis minor non decuit temporis apparatus. Cum plenitudo temporis uenit, misit Deus filium suum. Mitti ad agricolas pro uineę fructu serui prius debuerant, antequā filius Domini mitteretur. Quę dies Verbum eructaret ęternum, nisi prius à cęlis Dei gloria enarraretur in terris? statim ac orta

est

est Stella ex semine Iacob, luxit flos campi, et expectatio gentium amplius differri non poterat. Quando diem redemptionis inchoasset iustitiæ sol, nisi gratiarum præcessisset Aurora? Tunc transijt hyems, et imber abijt: tẽpus putationis aduenit, et audita est in terra uox turturis. Ad sibilum auræ lenis disrupti sunt cæli, et Mundi saluator apparuit.

Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.

EGressus è Virginis utero Christus, ubi caput reclinaret, in Mundo non habuit. Vtero Virginis locum inuenire non poterat puriorem. Cernebat obduci atris nubibus montes, latere colubros intuebatur in pratis. Spinas obseruabat in rosis. Lolium agnoscebat in tritico. Pertimebat in ædibus diuitum arrogantiam. In parietibus pauperum perhorrebat inuidiam. Commune nobilitatis malum superbia deturpabat affectus. Pietas exulabat ab aula. Titubabant sanctuarij iura. Feruebat ubique fraus, undequaque spirabat iniquitas. O pessimos humani generis mores! Præterquam apud pecudes, et in paleis tutiorem nõ nactus est sedem. Nulla sapiebant duntaxat armenta malitiam: onus tantummodò paleæ olebant nullum. Oderat Verbum æternũ colloquia malignantium. Respuebat diuinus Agnus peripetasmata peccatorum.

Vbi

Vbi intellectus non est, non datur accessus ad Christum.

COngruit intellectus cum fide, et vbi intellectus non est, ad Christum non datur accessus. Intellectus lux est, et in lucem, quę Christus est, credi nō potest, quādo lux deest. Vbi Christo non creditur, deficit gratia, et circum itur per tenebras. Abest munditia, cordis, et rectitudo non patet. Nulla Spiritus sancti pręfulget doctrina, uel vmbra, et veritatis nescitur dies. Expectatio iustorum est Christus, extra quem non est spes, extra quē non est salus. Christus omnibus omnia factus est, è cuius iugo infertur suauitas, è cuius dictis hauritur amor. Oleum effusum est nomē Christi. Nil refert vestire vestimenta candoris, si oleum è capite non defluxerit. Expers est charitatis caput, quod non respersum est oleo: Lapidem Iacob suffudit hoc oleo, quē erexit in titulum. Absque hoc oleo Sarepthę mulier nō pauisset Eliam. Datur hoc oleum diligentibus Deum. Quicquid Christum non sapit, infatuatum, insipidum est. Corruit domus, quę Christi petram in fundamento nō habet. Extrema cuiuslibet perditur lis, pro quo Christus non perorat aduocatus ad Patrem. Vtinam foret sola fidelium portio Christus! Discerent fideles ab illo, cùm diuersatur in Stabulo, palatiorum aspernari superbiam. Cùm fugam arripit in Ægyptum, firmam in terris non appetere ciuitatem. Cùm mūdi

respu-

respuit honores, et opes, uana cupiditate non premi. Cùm à socijs destituitur, nullam stabilis beneuolentię reperiri fiduciam. Cum spinarum corona pręcingitur, rosarum non decipi lenocinijs. Cùm crucem baiulat in caluariam, omnem aliam, quę crucem non sapiat, sarcinam paruipendi.

In fidei documentis inficiandi facultas locum non habet.

VBi rutilat fides, quęstionis nulla necessitas est. Argumentis cognosci non potest, quod nisi per fidem, probari nequit. Probari dedecet uerbis, quę confirmanda sunt sanguine. Nimium altercando sępe amittitur ueritas, quia opinionum diuersitatem ueritas respuit. In dubium uertitur, quod disputationi subijcitur. Fidei manifesta negare, temeritas est. In fidei documentis inficiandi facultas locum non habet. Inanem gloriam sapit contentio, et seruum Domini contendere non oportet. Fides, si quid habet obscuri, obscuritas eius illuminatio est. Maximus latet sub umbra splendor. Visum est pluries ab umbra fluxisse salutem. Plurima super sensum hominis percipit fides. Naturalem excedunt credibilia rationem. Idcircò minores in fide tenentur adhęrere maioribus. Imitator superioris esse debet inferior. Homo per sensum sacramenta fidei non assequitur: sed per Angelos homini reuelantur oracula Deitatis. Tota christianę sapientię disciplina in uera, et uoluntaria humi-

humilitate consistit. Qui non côuertuntur, et efficiuntur, ut paruuli, non intrabunt in regnum Dei. Amat fides paruulorum infantiam, quę humilitatis magistra superbiā nescit: Innocētię regula calliditates ignorat: Mansuetudinis forma ęmulationis iniquę sophismata fugit. Piscatorum doctrina Philosophorum eruditione pręstantior est.

Humilitatem cordis exigit Fides, non celsitatem ingenij.

NOn in hominum sapientia, sed in uirtute Dei consistit fides. Spiritus Domini super uerba non fertur. nequit homo percipere, quod oculus non agnoscit, auris non audit, et cor non considerat. Humilitatem cordis exigit Fides, non celsitatem ingenij. Nil prosunt opinionum acumina. Multiplex doctrinarum nil proficit apparatus. Quid refert arcana perquisisse naturę? Quid iuuat uires nouisse Stellarum? E' magnis ingenijs magni prodierunt errores. Virtutum cumulus, si humilitatis fundamento non nititur, turpissimè labitur. Grata est humilitas Deo. Apex sententiarum, qui zelo non ardeat, cęlo non placet. Periodum, quę sanctitatem nō oleat, elementa non approbant. Piscatoribus creditur. Philosophi rerum interpretes naturalium, in fide locum non habent. Syllogismo, sorite, dilemmate Fides non indiget.

Soli Verbo Dei credendum est.

Cre-

CRedendum est vni Verbo, non omni. Illi vni credendum, quod est apud Deũ, à Deo non factum, sed genitum, cuius concipi est idem, ac nasci. Cuius bonitas qualitatis est expers, cuius magnificentia quantitati non subiacet. Habens in se naturaliter esse, quod Pater est: vnam cum Patre naturã indiscretę diuinitatis ostendens, quam etiam indiuisibiliter possidet cum Spiritu sancto cõmunem; quod tenebras comprehendit in luce, et intuetur tempora sine tempore; quod nesciens locũ, est pręsens vbique; quod procreans omnia, nullius mutationis est particeps. Propter quod veritas in terris apparuit, rerum vniuersitas renouata est, et gratiarum patefactus est aquęductus. Iam sileant Prophetarum oracula, venit quod expectatum est diũ. In hoc Verbo data cunctis à Deo spes est. Spes illa beata, qua ob priorum parentum ruinam, humanum caruerat genus. Nulla ad regnum patesceret uia, nisi patuisset hoc Verbum. Huius Verbi virtute titulum adoptionis adepta est humanitas, et cęlorum hęreditatem sperare cepit. Disruptum est vinculum seruitutis, et quod perierat, factum est saluum. Noua in terris claruit terra, oleum effluxit è scopulis, et montes didicere dulcedinem.

Ignis naturam exprimit Fides.

POtentissimam ignis naturam exprimit fides, quę non custoditur à Virginibus

Ve-

Veſtę, ſed à Proſelytis Chriſti, et quantò magis vetatur, tantò magis accenditur. Ignito gaudet eloquio, et emicat apparatu flammarum. Surſum rectis lineis velox attollitur, et humi obliquè ſerpere nequit. Alium, quàm lucis amictum, non induit. Nullum ſuſtinet pondus, et habet in proprietate calorem. Argentum, et aurum examinat, et ſcoriam latitare non patitur. Duriſſima ſaxa in cineres redigit, cùm pertinacium obſtinationes expugnat. Deuorat ſpecioſa deſerti, cùm mundi voluptates interficit. Montium fundamenta comburit, cùm ſuperborum vanitates euertit. Cuncta calefacit, et diuerſa conflat in unum. Miſer, qui hoc igne non viuit, et ardoribus concalet alienis! radios veritatis ignorat, et charitatis feruore non ęſtuat. Addictus carni neſcit reſpondere ſpiritui. Inter ſęculi ſordes vileſcit, et ad cęli faſtigia non aſpirat.

Charitas eſt forma Fidei.

FOrma fidei dilectionis Charitas eſt. absq. charitatis operibus, aut mortua fides eſt, aut ęris ſonantis, aut cymbali tinnientis ſimilitudinem refert. Suo caret principio, et coaleſcere nequit. Gratię non abundat influxu, et iuſtificationes non excitat. Credit, et ſperat, qui diligit. Vinculum perfectionis eſt charitas. In Deum ſemper eleuat oculos, et nunquam excidit. Non ęmulatur in terris, ſi deſpicit cuncta terrarum. Nil agit perperam,

si veritatis est amans. Plena Deo est, et non inflatur. Non sua querit, sed quę sunt Christi. Gaudet abnegare seipsam, vt sui iuris non sit. Emit aurum ignitum à Christo, vt locuples fiat. Cupit cor mundum in pectore, et spiritum rectitudinis in uisceribus. Cupit inter lilia pasci, et paruulos suos ad petram allidere. Tristatur, cùm Domini iugum non sentit, et lampades ignis, atq. flammarum nō alit in animo. Dolet, gemit, et a t, trahe me, Christe, post te. Crucem tuam baiulare non renuo. Tuarũ spinarum dulcissimus odor me inuitat ad oscula. Tuorum vulnerum ora fluētia ad amplexus me vocant. Liceat à monte Myrrhę ascendere ad collem thuris. Reuertere, vt semel intuear te. Possum aspectu tuo solummodo satiari: solummodo coram te pacem reperire concessum est.

Radix omnium bonorum est Charitas è Fide progenita.

CHaritatem concipit Fides, et virtutum abundantiam parit: Æquitatem enititur, quę nihil uendicat alienum. Cuilibet, quod suum est, tribuit, et vtile nunquam prefert honesto. Prudentiam gignit, quę consilio dirigit actiones. Temporum narietatem agnoscit, et nulli voluptatum succumbit illecebrę. Fortitudinem procreat, qua foras expellitur timor. Omnes perdiscuntur excubię, et occasio nō pręter mittitur meritorum. Temperātiam parturit, qua rerum humanarum cupiditates

tates alliduntur ad petram. morum remouetur confusio, et eliguntur, quę pertinent ad salutem. Omnium bonorum est radix è fide progenita charitas: omni tempore lucet, et nocte nequit extingui. Labori non cedit, et terrorem non timet. Tanquam vinculum perfectionis uirtutes amplectitur omnes: vinculum, quo ligari non dedignatus est Deus, vt homo liber efficeretur; sine cuius ornatu nemo Dei filius vocaretur, et esset.

Gradus est auditus ad visum.

SVccedit fidei visio, et oculorum intuitus respondet auditis. Gradus est auditus ad visum. Quicquid per speculum nunc in enigmate cernitur, facie ad faciem postremò videndum est. Quicquid ex parte cognoscitur, tandem sicuti est, cognoscetur. Aderit nobis similitudo diuinitatis, quando thesaurum illum absconditum inuenerimus, quando uenditis omnibus pretiosam illā emerimus margaritam. Expectata portio, quam speramus, ipse Dominus est. Ipse Dominus est promissorum origo. In ipso sperantes trahemur ad ipsum, et certa fiet vocatio nostra. Iuuat pro ipso animam perdere, agere, et pati fortia. Augere fletibus flumina, omnem amaritudinis accipere calicem, et gratias agere. Expectatio tanti boni leuamen est cruciatuum. Ita licet altiora pręsumere, et annos immortalitatis appetere. Ita decet super alas vento-

rum incedere, et odoris diuini inebriari suauitate.

Mundi amicus, Christi sequax non est.

INtra mundum non quęritur Christus: Quęri non potest, nec inter tenebras lux, nec inter mortuos viuens. Vitę, et lucis author est Christus, cui libuit prorsus in mundo nec regnum habuisse, nec opes. Mundi amicus, Christi sequax non est. Qui sequuti sunt Christum, sęculi reliquere vniuersa, et crucifixi sunt mundo. Mundi amor, et Christi charitas simul non habitant. Vno oculorũ intuitu cęlum, et terram pariter quis aspiciet? Necesse est, vt bonis Christi non inhiet, quem bona mundi delectant; vt amarus sit mundus, cui Christus est dulcis. Nihil commune inuenitur in Christo; cuius nomen sonat oleum misericordiarum effusum, cuius aspectus redolet suauitatem odoris ęterni; cuius exempla salutem tribuunt immortalem; cuius eloquia gratiarum fluenta depromunt. Fas est ab eius spinis decerpere rosarum coronas. Licet ab eius liuore stolam glorię candidam mutuari. Ex eius opprobrijs prodit hominum decus: Ex eius vulneribus felicitas vniuersorum erumpit.

Fides non hospitatur, ubi duplex est animus.

SAna residet fides in animi simplicitate: non est sana, vbi bipartitus est animus.

Lam.

Lampas vna lucem diffundit vnam. Quando ſplendet animus ſimplex, doctrina fidei loricatus, et declinans ab alienis, nullo modo Dei gratiam abijcit. Incapax gratię, expers iuſtitię eſt animus duplex. refert confuſioné duplicitas, et abominationi ſemper eſt propè. Nunquam probitas cum improbitate coire poteſt. Abhorret à maculis, et actionũm candore lętatur. Freta ſplendore virtutum ſimpliciter ambulat. Nixa prudentię lenitate verborum loqui non timet. Fulta robore rectitudinis ſalutem expectat. Modeſtiam induit, et reuerentiam non quęrit honoris. redolet ſanctitatem, et laudis gloriam non ambit humanę. Credit ſubſtantię rerum, quas non intuetur, et ſperat. Cuſtodit pręcepta, quę ſapiunt vitam, et gaudet. Scit, cui credit, et nequit deficere: callet, propter quod operatur, et ab operibus neſcit deſiſtere.

Progreſſu, et Perſeuerantia gaudet Fides.

TEmpori fides non ſubiacet. Operibus ęſtimatur, non annis, et vnum opus ęquiualet multis. Conuenit priori poſterius, quia tempus menſurę non ſeruit, ſed animus. Sunt primi ſępe nouiſſimi, et nouiſſimi ſępe primi. Quęcunque hora eſt accommodata ſaluti. In Chriſtianis non quęruntur initia, ſed finis. Paulus malè inchoauit, ſed benè concluſit. Iudę laudatur exordium, ſed finis proditione damnatur. Turpis finis laudem fœdat

egregiam. Si peccatum aderit, iustitię longitudo nil proderit. Si pœnitentię sonet confessio, nil diuturna nocebit impietas. Fallitur, qui censet pro toto primam operis partem, et dimidium facti, qui benè cepit, arbitratur habere. Nonnunquam dies, qui surgit mane cum gaudio, occidit vespere cum dolore. Rarò congruunt extrema principijs. Progressu, et perseuerantia gaudet fides. Qui progreditur, et non deficit, cōprehendit brauium. Qui currit, et perseuerat, mercedem accipit plenam.

Preter Dominum Fides nil timet.

VLtra quam oporteat trepidare, defectio fidei est. Prȩter Dominum fides nil timet. Squalentem ȩgestatis aspectum non horret: grauiora carnificum, aut morborum cruciamenta non pauet. Cunctas despicit insidias hominum. Omnes ridet potentias dȩmonū. Vniuersas mundi contemnit, et infra se positas arbitratur ȩrumnas. Confundi nescit, qui confidit in Domino. Non dormit Dominus, cùm affligimur. Dum grauioribus sollicitamur angustijs, ad Dominum effundendus est clamor. Perimus, Domine, salua nos. Opprimitur rebus aduersis humana virtus. Deficiunt vires, et labori succumbimus. Ventis, et mari solus imperare tu potes, quia hominum custos tu solus es. A te solū nobis expectandū est adiumentum, nostra tantummodo illuminatio

natio, et salus. Prçsto est clamanti, et misericors ait, seruus meus es tu, tecum sum ego, ne timeas. Prçsens tuo lateri sto. Si quandoque tentaris, accedit cum tentatione prouentus. Nihil nouisses, si compos tentationis non esses. Necesse est, vt pulsetur infirmitas, ne superbiat sanctitas. Non sunt me digni, qui merita tentationis ignorant. Sufficit tibi gratia mea. Nulla vis prçualet contra te. Lapidescunt aquç, si per aquas incedis. Ardorem obliuiscitur flamma, si pedibus flammam premis. Coronam, vbi viceris, prçparo.

Quicquid fidem non olet, superuacuum est.

OMne, quod fidem non olet, superuacuum est, et inane. Opes nil prosunt, vires nil iuuant. Fides in mundo sine fine largitur imperium, prçbetque honores, quos mũdi sçcula non nouerunt. Nequit prçstare mundus thesauros, quos affatim exhibet fides. Nõ potest auri corona coronç ęquari iustitię. Pretiosius est torque gemmarum monile virtutũm. Aliud est terrç fulgere gemmis, et aliud decorari splendore stellarum. Aliud militum caterua stipari, et aliud Angelorum choro circumdari. Gloriosius est corã Agno cęlesti gestare palmas in manibus, quàm coram hominum plebe sedere cum purpura, et sceptro: satiari in fontibus Saluatoris, quàm sensuum affici voluptate. Fallax, et breuis est humana iucunditas: Æternum, et immutabile est

le est diuinę glorię pondus. Tribuitur alteri tormentum, et luctus: alteram manet triumphus, et regnum.

Relinquenda sunt omnia, pręter fidem.

NEcessarium est vnum, in quo cuncta consistunt, et à quo mutuantur vniuersa principium; sine quo non est amor, nec quies; sine quo nec virtus fulget, nec gratia; Cuius testimonium in cœlo dignoscitur, cuius possessio deest, nisi omnia desint. Multiplicitas epularum stomachum inquinat, et nō alit. Inuenitur in unitate perfectio. Principes qualitates sunt vniusmodi, et simplices. O quàm verè ducunt iucundam vitam habitantes in vnum! In vna domo comeditur Agnus. Dulcissima scatet ab vna petra aquarū vbertas. Vnum est assumendum, relinquenda sunt cętera. Hoc vnum est sapidū, omne reliquū est insipidum. Exitiū portendit divisio. In regno virtutum virtutes omnes tendunt ad vnum. Infelicitas, et contradictio est, vbi cor vnum, et spiritus vnus non est. Affert cōfusionem diuersitas labij, varietas operum.

Fidelis à Cathedra Diui Petri non separatur.

NEmo fidelis, nisi, qui corde fideli veneratur Ecclesiam. Frustra se iactat fidelem, qui cathedrę Petri non iungitur. Nil est solu-

solutum, nil est ligatum, nisi, quod Petrus, aut soluerit, aut ligauerit. Agnum, qui comedit, et romanam non colit sedem, sacer nō est, sed prophanus. Arcam Noe repręsentat Ecclesia. Adueniente diluuio quisquis Noe non habitat arcam, naufragus est. Ecclesia est hortus ille conclusus, et fons signatus, extra quem flores sanctitatis non germinant; extra quem calix salutis non bibitur. Ecclesia est Christi sponsa, aduersus quam inferi portę non pręualent, pro qua dimicant astra, et Angelorum exercitus pręliatur. Qui de Hierusalem egreditur finibus, statim incidit ĩ latrones. Actutum ęrumnis opprimitur, qui gratię deserit receptaculum. Domus Dei Hierusalem est, et uisio pacis, cuius decor est sanctitas, cuius donum est gloria. Extra illam erūpit ex omni parte peruersitas: extra illam habitans, quietē non agnoscit ęternam. Illicò lupi morsibus patet ouis, quę egreditur de ouili. Haudquaquam uincere potest quicunque distat à diuersorio uitę. Nomen habet, quod uiuat, et mortuus est. Nudus, et vulnere exanimatus multiplici iacet. Amittuntur indumenta uirtutum, vbi peccata grassantur. Plagę non deficiunt maximę, vbi crudelitatē anhelans longè sęuit iniquitas. Habendus est cunctis, sicut Ethnicus, et Publicanus, qui nō audierit Ecclesiam. Non est inter filios computandus, qui non obtemperauerit matri. Omnium mater Ecclesia est. Ecclesię non obtemperans est contumax, et rebellis. Obedientia procedit è fide. Vbi, cui debetur, nō

prçstatur obedientia, nullus viget amor justitiç.

Fides uera discitur Romç.

VEra fides, romana fides, quç in cçlis principium agnoscit à Christo, et in terris à Petro. Deuius est à fide quisquis cum Roma non conuenit. Columnam non sequitur, qua cùm peragrat Mundi desertum, non declinat à semita. Cynosuram non intuetur, qua, cùm vitç pelagus nauigat, non aberrat à portu. Datum est Romano Pontifici cçlorum recludere fores, et supernarum exposcere flumina gratiarum. Romç bibuntur aquç de fontibus Saluatoris, alibi potus est aqua fellis. Romç induitur stola pacis, alibi vestimentum est maledictio. Suo murmuret arbitratu Lutherus, et maledico dente carpat Petri Vicarios. Fremat Caluini petulanter improbitas, et Apostolicos insectetur conuicijs mores. Defluet semper è Cathedra Petri vniuersalis doctrina per Orbem, et donec vigebit humanitas, sub romana palestra tabellas fidei Piscatoris annulus obsignabit.

Fides vult habere captiuum, non solutum ingenium.

INuenit fides illuminationem in nocte, et gaudet habere captiuum, nõ solutum ingenium. Intra fines Ecclesiç aperit viam, extra quam ire pedem non finit. Reuelat paruulis,

quę sunt occulta gygantibus, et vbertatem prębet intelligendi, quibus non est copia standi. Absconditum manna promittit, et secretorum arcana denudat. Apprehendit nouissima, et comprehendit immensa. Existimat decus credere, quod non videt: confiteri, quod non apparet. Animum concitat ad certamen, suadetque pacisci cum morte coronam vitę. Ibi cęcitas est, vbi perfidia. Excęcat perfidia mentem, et ignominijs inquinat actiones. Pudoris colorem non intuetur, et turpitudinis metum ignorat. Sciens ruit in mala, et meritis mitigari non potest. Mentitur, et fallit. Pactiones contendit, et iusiurandum violare non timet. Futurum nequaquam aduertit, et sine consilio difficillima tentat.

Quid doceat fides.

QVatuor docet fides, diuitiarum contemptum, vanitatis humanę despectum, à sęculi curis secessum, et cunctarum tolerantiam passionum. In Domino fiduciam habere non potest, qui confidit in auro. Frustra inquiritur veritas, si fastus arrogantię non deponitur. Sequax Mundi Christum non sequitur. Iniuriarum impatiens crucem non baiulat. Scelerum causa pecunia est, nam vitia plerumque concurrunt cum opibus. Vanitas cognata superbię mendaciorum authoritate fulcitur, et omnium malorum paulatim est radix. Pendet Mundus ab operibus carnis, et legem, qua spiritus alitur, caro non audit.

For

Fortitudinis comes est patientia, quę conscia promissorum, inter ęrumnas confortatur, et fortiter agit. Aut crucifixus, aut crucifigendus accedat Christianus ad Christum. Cuncta mundi relinquat, et domum, et titulos obliuiscatur parentum. Nihil oleat carnis, et sui nihil admittat intra. Abneget semetipsum, et corde nouo, nouoque spiritu viuat. Nefas est ęternitatem pacisci cum terra, et ab illecebris sensuũ expectare serenitatis honorem. Opes, oblectamenta, fasces, et pompę non aperiunt fores cęli. Sudandum est, laborandum est pro cęli commodis sempiternis.

Ligno fidei secura est nauigatio Mundi.

FIdei ligno subnixi duntaxat, in tuto Mundi pelagus nauigant: Tempestates, procellas, naufragia non formidant: Animi tranquillitate fruuntur, et ventorum agitatione non fluctuant. Conscientię serenitate contenti, nubium conflictus rident. Iustitię cynosuram aspiciunt, et portum salutis expectant. Sępius confirmati viatico panis ęterni, moras nil curant itineris. Abundant virtutum obsonijs, gratiarum referciuntur varietate. Captant à spe dilata profectum. Audaces omnia perpeti, secundas votis mercantur auras. Sanctorũ auspicijs cupiditatum superant scopulos, et natantia monstra non perhorrescunt affectuum. Pacisci discunt cum oculis animi cogitata, et brumalium noctium tenebras pari-

uipendunt. Anchoras iaciunt in mandatis, cùm vela contrahunt orationum, et precum. Adhibent dona Spiritus sancti pro remis, et quò charitas monet, nauem propellunt.

Fundamentum fidei fortitudo.

FIdei fundamentum est Fortitudo. fidelis non est, qui fortitudine caret. Preter turpia fortitudo nil metuit: metus, et audacię moderatur affectus, et absente iustitia nullum opus aggreditur. Nullibi adest, nisi vbi perfectum cor est. Nescit vinci, nequit frangi. Rerum difficultati non cedit, et in infirmitatę perficitur. Tristi tempore materiam nanciscitur laudis. Intentatum nihil relinquit, et semper tendit in arduum. In rebus secundis prudentior, in aduersis constantior nõ vacillat, non claudicat. Execratur Lunę conuersiones, et omni vento non circumfertur. Pennas assumit, vt Aquila, et sursum appetit mãsionem. Non deficit, cùm laborat: non reuertitur, cùm incedit. Rectam ambulat viam, pertinax non declinat ad dexteram, formidolosa non deflectit ad lęuam. Exterret iniquos, tuetur honestos. Vt auertat iniquitatem, decertat armis, et telorum segetes parat: multiplicat fulminum iactus, tonitruque concutit vniuersum. Vt protegat honestatem, mille clypeis pugnat, et saxa, et ignes appellat è cęlo; turres, et propugnacula condit, et impiorum incursionem, et impetus comprimit.

Petrę

Petrę Christi non subnixa religio, vana est.

VAna est religio, quę Christi petrę non subnititur fundamento. Superstitio est, sacrilegium est, quę baptismatis vnda non candicat. Probitatis magnitudinem sustinere non potest, et corruit: inter radios veritatis nigrescit, et finitima fabulis abundat erroribus. Confundit rudimenta iustitię, et filios lucis non parit, sed tenebrarum. Trepidat, vbi timor non est, et infulas meditatur, non cruces. Empta est romanę superstitionis interitu Christiana religio. Falsa iam abierunt responsa Deorum, et vera Spiritus sancti prodierunt oracula. Extincta est flamma Vestalium, flagrat totus Orbis terrarum charitatis incendio. Mutata sunt paludamenta castrorum in stolam pacis. Cesserunt aruspices, surrexerunt antistites. Placet pauperis Christi sacrosancta sectari vestigia, et vbertate diuitiarum pretiosior est paupertas. Subditur piscatorię cruci augustale fastigium. Pecudum caro non ęditur, hominum voluntas mactatur; et ex extis non futurum arguitur, sed propositum.

Fidei fundamento non iacto, corruit ędificium spei.

ADdi non potest ędificium spei, si deest fidei fundamentum. Sperabitne cęlestem hęreditatem, qui Patris cęlestis filius dici nō vult?

vult? Tertium non ascendet in cęlum, qui nescit, cui credat? Quonam pacto commercium inibit cum Angelis, qui sęculo conformatur? Qua Numinis locupletabitur gratia, qui Numinis respuit confiteri potentiam? Inscius ęternorum temporalibus gaudet, diei lucem ignorat, et noctis vmbra lętatur. Nunquam viriliter loquitur, nunquam fortiter agit. Laborat in tenui, et ingenium in vilibus occupat. Immemor mortis pręsentibus nititur, et futura dissimulat. Vitę perpetuitatem cum Mundo paciscitur, et Mundi figuram preterire non putat. Expers consilij carnis inhęret illecebris, animęque saluti non consulit. Conuersatur in desiderijs sensuum, denegatq. spiritui oblectamenta iustitie. Vanum existimat amicitię foedus sancire cum superis, Dominique delicias in terra viuentium intueri. Fabulas censet gehennę poenas, horribilesq. Dęmonum, et furiarum aspectus, cum reuersus ab inferis nullus adhuc sit agnitus.

Filij nomen amittit peccans in Deum.

PAtrem non habet Deum peccator. Illicò filij nomen amittit, qui peccat in Deū. Sanctitatis iactura adoptionis eripit ius. Non est filius, qui voluntatem Patris non implet. Opera non faciens Abrahę, non est filius Abrahę. Statim declinans ab operibus Patris se censet extraneum. Beneficijs se agnoscit exutum, et priorum officiorum consuetudine

caret.

caret. Quod est naturę meminisse non audet, si facinora perpetrando perdidit; quod est gratię. Contumacię crimen delet opinionem amoris, et argumenta salutis non affert ertoris memoria. Errat, sicut ouis, quę perijt, et pastoris sui contempserit vocem. It preceps per saltus, luporum occurrit auiditati, et miserationis est incapax. Defuit à veritate, additur morti, et in medijs tenebris luminis expers euadit. Factus filius tenebrarum amplius filius lucis dici nequit. Semel conscius maledictionis, repentè benedictionis fit inscius; et qui longęuus esse non potest habitator in terra, ęternus fieri non auebit ciuis in cęlo.

Perfectiora sunt vincula Spiritus vinculis sanguinis.

EVndem paternitatis titulum promeretur propagatiò corporum, quàm spirituum. repletur terra corporibus, coelum spiritibus. Vtraque suos habet paternitas primogenitos. Alios alijs sanctiores, alios alijs ditiores. Sed relinquenda est corporalis paternitas, vt centupli dona non desint. Obseruanda spiritualis, ne procedatur in tenebris. Quantò cęlum est terrâ splendidius, tantò vna est gloriosior altera. Vtrique debetur obsequium, et si vnam contemnere, impietas est; alteram despicere, sacrilegium est. A prima promittitur caducorum, à secunda ęternorum hęreditas. Vestit filios prima indumentis, secunda virtutibus.

Alit

Alit filios prima varietate ciborum, secunda sanctorum scientia. Vinculis sanguinis perfectiora sunt vincula spiritus. Nescit sanguis nexus construere spiritus, qui credentium omnium facit cor vnum, atque animam vnam. Ligat omnes catena virtutum, et quemquam à via veritatis aberrare non sinit. Sat est spirituali semel obstringi nodo, et omnis è sanguine veniens dissoluitur obligatio. Legi spiritus iura sanguinis cedunt. Necesse est, vt sanguis spiritui seruiat. Lex, quam statuit spiritus, suauis, et dulcis est: quam sanguis promulgat, interdum est infidelis. Nequit agnoscere diuinitatis arcanum, et verba, quę sapiunt terram, eructat.

Fides est causa scientiæ, et scientia disciplinæ.

Acquiritur per fidem scientia, et per scientiam disciplina. pręcedit scientiam fides, è cuius luce amoris cognitio gignitur. Antegreditur scientia displinam, è cuius custodia iter vitę patescit. A scientia prouenit amor, quo induitur animi sanctitas, et columbę volatus optatur. A disciplina prosilit salus, qua terrę propulsatur iniquitas, et cęli comparatur ęternitas. Abest regnum immortalitatis, si scientia deest. Adest bonorum repente pauperies, si deficit disciplina. Exhibet scientia fiducię copiam. Pręparat disciplina diuitias plenitudinis. Excitat vna virtutum actus, perficit altera spiritus fructus. Absque

vera-

utraque à iustitię semitis declinatur, et in odorem sacramentorum non curritur. Vna cęli reuelat arcana: altera probitatem instaurat. Vna exploratrix est veri, altera contemplatrix est optimi. Principiũ vnius est timor: initium alterius est humilitas. Vnius est non sapere plusquam sapere: alterius est labores amare, et otia non agnoscere.

Fides, non scientia triumphat de Mundo.

NOn vincit scientia Mundum, sed fides. Inflat scientia, et temeritatis est compos. caro conscia sui custodit humilitatem, et à disciplina non discrepat. Fides, quę ex Deo est, conterit mundi nequitiam, et de mundo triumphat. Nullo trahitur lenocinio carnis, et consors diuinę naturę vult effici. Abhorret semper à culpa, et congruit rectitudini. Aduertit mundum non conuenire cũ Deo, quando mundus spiritum non accipit ueritatis: Fallaces esse mundi diuitias, quando thesaurum, et margaritam non comparat Euangelij. Florum colori non credit, et spinas meditatur in floribus. Cernit sub dulci latere venenum, et à mendaci iucunditate certum prosilire dolorem. Distinguit vitam à morte, et lucē à tenebris, agnoscitque inter opprobria laudes, et inter detrimenta salutem. Mundi clarè comperit pręterire figuram, et optimè consulit ipso non uti. In schola fidei discitur institutio vitę, percipitur hominis imper-

fectum

sectum, et mundi presentiuntur insidie. Adiudicatur morti prudentia carnis, eligitur veritas, et nouissima prouidentur.

Sperat, qui credit.

QVod non creditur, non speratur. Oportet, vt antea percipiat intellectus, quod postea sit expectatura voluntas. Intellectus imperio voluntas indulget, et quicquid statuitur in consilio mentis, exequitur. Quis emet agrum, nisi censeat inuenire thesaurum? Quis cursum arripiet, nisi brauium comprehendere cogitet? Quis factus sibi tanquam vas perditum, animam perdet in terris, nisi illam lucrari existimet meliorem in cęlo? Non petit cęli delicias, qui annis ęternis non adhibet fidem? Saluus fieri non cupit, qui salutis non confitetur authorem? Iurat, et statuit iudicia custodire iustitię, qui legem Domini diligit, et transgredi non vult, cùm possit. Desinit temporalibus vti, ęterna suspirans gaudia, et cinerem manducat, vt pané, ne cęlesti priuetur ambrosia. Carent impij spe futurorum, et lucerna impiorum non lucet. Qui ad vanitates prouocant corda, disciplinarum respuunt ornamenta. Qui amplectuntur mendacia, repromissionum optata non assequentur.

Fideli sufficit signum Crucis.

NVnquam credit, qui testimonium petit. Dantur infidelibus signa. Tutius est, vt mens satisfiat, quàm oculus, quia facilius oculus decipi potest, quàm mens. Cadũt signa sub sensus, et qui spirituum inopes sunt, sensuum authoritati nituntur. Qui sermoni, et doctrinę non acquiescunt, signis adducuntur ad fidem. Conuenit cum ratione fidelis, et quęstionibus veritatem non subdit. Sufficit signum Crucis, vt quis firmetur in fide. Signum amoris Crux est. Christi amator nõ est, qui crucem non baiulat. Pręter arborẽ crucis, nihil in mundo Christus amauit. Amore languens noluit floribus fulciri, sed spinis. Voluit dolorum vir dici, qui regum rex erat, et ne coronaretur in Vrbe, fugit in montem: suum sanè regnum in monte pręnouerat. O quę spes inuenitur in cruce! O quã gloriam pręparat crux! Hoc redemptionis auxilium è montibus expectabat humanitas. Ab hoc ligno, cuius propria est benedictio, prosilire debuerat in terras iustitia. Sub hoc crucis vexillo sanctificatum est sęculum. Fulget in ipsa Dei virtus, quę gratiarum continet aquęductus, è qua salus emanat, in qua vita perennat. Alibi, nisi in cruce, virtutum plenitudo non micat. Candelabrum est Christi, quo rerum vniuersitas illustratur, quo tenebrę depelluntur abyssi, quo patescit claritas veritatis.

Episcopi dispensatores in domo Dei.

IN fidei domo dispensatores Episcopi sūt, inter quos quęritur, qui fidelis inueniatur. Dispensator fidelis est, qui ędificat, non qui destruit; qui colligit, non qui disperdit; qui ad amorem Dei trahere studet omnes, et pro dilectione substantiam, quasi nihil, despiciēs omnem; semper habet, vt det, si charitatis plenum aperit pectus. Qui animam suam pro ouibus ponere non formidat, et suauitatis odorem undequaque diffundens, dirigit oues ad pascua liliorum. Qui uisitat derelictam, qui perquirit amissam, qui sanat contritam. Fidelitas vtilitatem respicit publicam, non priuatam: communem tendit ad gloriam, nō ad propriam. Vigilat, et otiosa vacare non potest. Amat in singulis Deum, et in tempore tribulationis non abest. Sollicitatur inuita, commiseratur recusans. Vę Pastoribus, qui dilacerant gregem, et semetipsos, non gregem pascunt. Vlulabunt, clamabunt. Frustra cineribus capita aspergent, ne eorum magnificentia vertatur in cineres. Sacrificia eorum amplius grata non erunt. Eorum turpitudinem redolebit incensum, eorum preces resonabunt iniuriam.

Astutus, et simplex debet esse fidelis.

DEcet fidelem astutia, decet simplicitas. Absque vtraque fidelis nullus non est. Astutia est, instar serpentis hominem exuere ueterem, et induere nouum: super terram in-

cedere, et vestigium non relinquere: cuncta membra contemnere, et duntaxat tueri caput. Simplicitas est, instar Columbę pacis gaudio frui, et tranquillos ducere dies: omni credere verbo, et suauem habere sermonem: cordis incumbere puritati, et nullo crimine pollui. Frustra scuto fidei gloriatur, qui sub vtriusque uexillo non militat. Ioseph ille fidelis, mulieris succubuisset insidijs, nisi sub vna refellisset illecebras, nisi sub altera nudaretur amictu. Silentium seruat astutus, et legis meditatur arcana. Metitur futura prętеritis, et necessitatis indulget obsequio. constituit gesta consilio, nec pręceps ad falsa prolabitur. Simplex ambulat confidenter, et semper à malo recedens, erga omnes exhibet innocentiam. Nil timet, nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. Gaudet à mundo distare, et hęreditatem non expectat à sęculo.

Dedecet mundanorum affectus, ubi Numinis aura flat.

NEc ignorare iustitias Domini, nec ore proferre Domini testamentum, vnicuique concessum est. Sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pecunia Euangeliorum promulganda sunt uerba. Potestatum subsidio pręcepta humilitatis haud indigent. Quocunque humano consilio tutela Spiritus sancti prouidentior est. Dedecet mundanorum affectus, vbi Numinis aura flat. Vilis est candor argen-

argenti, apud quem tantummodò cura est thesauros in cœlo congerere. Quam ostendet in cęlestium sermonibus uim, qui terrenorum desiderio capitur? Qui fractum vitijs animũ seruat? Victus cedit auditor magis exemplis, quàm uerbis. Nullum continet pondus loquentis authoritas, nisi iuuetur operibus uox. Bonorum operum semina fructuum vbertatẽ in prędicatione promittunt. Non risus, sed dolor ex oculis elicit lachrymas, neque è glacie prodeunt, sed ex igne scintillę.

In hæreditate Dpmini tepiditas partem non habet.

MVltum prodest in fide celeritas. Humilitatem celeritas sapit; et ideò adiuuat celeres Spiritus sancti gratia, contemnitque cunctantem. Corde cunctans non differt à stulto, congruitque cunctans inuito. Currit velociter sermo Domini, et volat super pennas ventorum. moras non patitur amor. Opera amoris sunt opera fidei. Quicquid pręcipit fides, olet amorem. Charitate prosequi Deum, beneuolentia proximum, inimicum dilectione, sunt argumenta calescentis amoris. Nullam habet in Domini hęreditate partem tepiditas. Peior est frigido tepidus. Calidis, et velocibus, quos inertię non uexat infirmitas, patescunt arcana regũ. In Euangelio moram interponentes exclusę sunt virgines. Brauium festinantes adipiscuntur, et festinantes comedunt agnum. Maxi-

mam continet pernicitas uim. Si sponsa non properasset, quando sponsi accepisset amplexus? Solum properantibus exhibetur vinū, et lac.

Reprobat scientiam quęstus Ecclesia, et thesaurum ponit in intellectu bono.

QVando exulat pietas è cordibus hominum, et tantummodò commoratur in labijs, exigitur quęstus è nomine Christi, et in foraminibus petrę thesaurus inquiritur. Frustra uox sonat, quod cordi non congruit, et verbis docetur, quod non confirmatur exemplis. Reprobat scientiam quęstus Ecclesia, leges charitate promulgat, et conditiones salutis exponit. Vtilitas valdè distat à recto: sępè certat cum honestate, et palmam assequitur. Religionis instituta conuellit, et gratię munera destruit. Intellectus bonus, thesaurus est. Sed intellectum bonum non habet, nisi qui timet Dominum. A timore Domini sumit exordium sapientia, trahit originem salus, et gratiarum defluit plenitudo. Intellectui bono non deest aurum illud ignitum, cui obediunt vniuersa, à cuius calore abscōditur nemo. Intellectus boni est, diuina uenerari mysteria, occulta prouerbiorum exquirere, noua, et vetera de thesauro proferre, et Spiritus sancti fulgere donis. Intellectus bonus est, thesaurus ille, qui possidetur in vasis fictilibus, quo stultitia refellitur, et veritas inuenitur. Infelix ille, qui Deum non timet! Vas suum euestigiò violat, et vitupe-

ratio-

rationi factus obnoxius vasi perdito comparatur.

In omni actu Christianus memor sit operum fidei.

ERuditio fidei sit omnis actio Christiani. Mane surgentem è mari, cùm viderit Solem, agnoscat hominem ex aqua baptismi renatum, vt fulgeat tanquam lux. Deinde, cũ pergit ad Templum, in præsepi Deum putet visere vagientem. Postea, cùm Principis aulam ingreditur, audire clamores in Redemptorem existimet. Non eat ad hortum, quin proditionem osculo cogitet perpetratam. Aeris non aspiciat campos, quin Solem, et Lunam atra ferrugine misereatur obuolui. Quocumque intueatur in monte crucifixum languere Christum, occultoque fragoré terræ cardines concuti. Erubescat in saxis nancisci pietatem illam, cuius ipse non sentit in corde particulam. Recordetur in mensa, dum bibit, qua poculi amaritudine potatus est in cruce Saluator. Meditetur de nocte, quo sepulchro inclusus est author vitę; nec aboleat somnus tot tormentorum imagines.

Temporalis egestas ęternę felicitatis arrha est.

CRedens in Christum, à Christi sermonibus non recedit. Futuri cupidus regni mutabile spernit imperium pręsens. Fluxuras

ras à terra non poſcit opes, ſed à Chriſto perpetuas. Affatim diues in cœlo eſt, qui pauper eſt in terra cum Chriſto. Incipit adhuc in mundo titulum vſurpare beatitudinis. Superborum non timet iniurias, ſceleſtorum non horret inſidias. Arbor fructibus plena ſentit ſolummodo pretereuntium ſaxa. Temporalis egeſtas ęternę felicitatis eſt arrha. Amicitię diuinę character, paupertas eſt. Deo derelictus eſt pauper, Orphano adiutor eſt Deus. Dictum eſt Domini, qui non renunciat cunctis, quę poſſidet, meus non poteſt eſſe diſcipulus. Filius hominis, vbi reclinet caput, habere non vult, ut doceat omnes palatiorum immenſa contemnere ſpatia. Qui ſęculi expectat hęreditatem, Chriſti cohęres non eſt. Pauperem ſpiritu uitā gerens bona quamplurima in terra viuentium pręſtolatur. Paupertas Eccleſię primogenita virtus, voluntaria, non coacta, foris ſupellectilem explicat vilé, ſeruat intrinſecus meliorem. Meritis omninò referta, facultatibus vtique uacua, habet nihil, et omnia poſſidet. Artium bonarum inuentrix religionis affectibus locupletat ingeniū. Lucet obſcuro poſita loco, ſanctorum decorata ſplendoribus. Sua conſtruit fundamenta, non in montibus aureis, ſed in ſanctis. Inſcia vanitatis, conſcia gratiarum, ſudoris nitore, quo paſcitur, margaritam percipit inuenire. Tenuis eſt, ſed efficax: infirma, ſed operatrix. Humilitate malitiam vincit, lenitate calumnias ſuperat. Imperat elementis, cęloque uim infert.

Pa-

Parum distat à Dęmone, qui credendo non amat.

Dęmonum est credere, et contremiscere: hominum est credere, et amare. Illi incapaces amoris regna colunt immitia: Isti pręceptis amoris imbuti, messem expectant vnanimes vnam. Prouenit ex amore credulitas. Si non amatur, non creditur. Verus amās, bonus odor est Christi, et pręter Christum diligit nihil. Quasi nihil prę dilectione substantiā despicit omnem, et thesaurizare credit in cęlo, quando thesauros dispergit in terra. Inimicis ignoscit, iniuriarumque labem obliterat beneficijs. Plenitudinem legis importat dilectio. Originis memor suę varietate virtutum actiones exornat, et animum vnquā ab ęquo degenerare non sinit. Caret vita, et manet in morte, qui dilectionis est expers. Parum distat à Dęmone, qui credendo non amat. Colligit lolium, non congregat triticum. Lampades gestat extinctas in manibus, et longè procul à lilijs, pascitur inter spinas.

Credit Christianus cum dilectione; Dęmon credit sine dilectione.

Ecquis erit, qui credere respuat, quando Dęmones credunt, et contremiscunt? crédunt, non vt confidant, sed vt confundantur. Contremiscunt, non ut obediant, sed ut maiori poena perdoleant. Numinis altitudinē medi-

meditantur, cęli gloriam admiratione suspiciunt, tanta diuini imperij maiestate obstupefacti exhorrescunt. E' lege Domini percipiunt mirabilia, sed prauitas, qua execęcati obdurescunt, radium veritatis illos intueri non sinit. Agnoscunt ob crucem Christi infernum morsibus coerceri, sed quod mente concipiunt, exemplo probare non possunt. Longè peior dęmonibus est, qui credit, et peccat. Credere intellectu quid prodest, si charitate diuina voluntas non capitur? Abrogat fidem, qui propter quod credit, loqui non vult. Habet fidei speciem, sed virtutem non habet. Foris impugnat, quod credit intus. Qui credit, amat, docet, et facit. Cum dilectione fides est Christiani, sine dilectione fides est Dęmonis.

Perdit fidem, qui fidem non habet.

QValis sit cuiuscunque fides, tribulatio probat. Non aliter, quàm aurum igne, tribulatione perficitur fides. Nec pallet, nec timet. Quantumuis in vinculis, semper gaudet. Inter fluctus viuit, nec fluctibus frangitur. Ridet sęculi tempestates, dum in perpetuum integra est. Vbi florescit, in votis est mors, uel certè mori desinitur. In tentationibus uir fidelis veste teneri potest, ut Ioseph, animo capi non potest. Quemcunque Christi charactere signatum vita citius, quàm fides destituet. Fidem non perdit, nisi qui fidem nō habet. Quid poterit vltra perdere, qui fidem per-

perdiderit? Caret humanitate, qui fide caret. Humana societas tollitur, quando fides excluditur. Mundi molem officia fidei seruant. Elementa deficiunt, si deficit fides. Nulla est necessitudo, nulla amicitia, vilis est anima, paruiducitur gloria, vbi virtutum basis interijt fides.

Amor Christi semper est operosus.

MIles Christi quietem non amat, otium non expectat in Mundo. Differt ab industrio deses, ut pius ab impio. Discitur male agere, quando nil agitur. Otij fructus est animi relaxatio. Æstuat igne flammarum, vel serpentibus ceditur populus laboris impatiẽs. Necessarius est labor ad honestatem. Vitijs non est obnoxius impiger. Artes cupidinis pereunt exercitio. Sine vsu confestim ęrugine eroditur ferrum, et vbi nescia motus est aqua, corrumpitur. Nunquam absque labore peperit gloriam spes. Egent cultu, quę pręclara sunt semina: sponte duntaxat germinat vilia. Dedecet militẽ à cruciatibus feriari, quando Dux tàm acerbè torquetur in cruce. Amor Christi semper est operosus. Sudat, alget. Sustinet, abstinet. E' pœnarum palestra transitur ad montem glorię. Triumphos labor adornat. In delicijs fortitudo non patet. Viro forti, cui studium disciplinę quotidianum obsonium est, gratuitam edere non licet annonam. Respuit fortis, quę citra puluerem

bona

bona sortitur: alienam messem expectat iners. Suauis est preteritarum afflictionū memoria. Animus malorum ignarus, laudum est inops. Vulnera, cicatrices sunt argumenta virtutis. Oritur ab incommodis vitę immortalis nominis amplitudo, et opum numero gloriosior est numerus operum.

Extra fidem nil accidit boni.

NOn potest quisquam sine fide placere Deo, cuius opera in fide collucent omnia. Inuocabit fortasse Deum, qui non crediderit constanter in Deum? Qua via nancisci sperabit cęlum, qui cęli aspernatur authorem? Qui patris imperio subdi non vult, non adoptatur in filium. Fides est ianua, qua patet ingressus ad sidera: speculum, in quo cognoscitur Deus: thesaurus absconditus, quo fit locupletior anima. Nunquam dicetur florere fides, nisi corruptela vincatur, et fructum expromat veritas latitantem. Quid animi, quid consilij in tanto discrimine, si fides non pręstat auxilium? Omne, quod ex fide non est, peccatum est. Omne, quod contra conscientiā fit, ędificat ad gehennam. Vitium crescit in dies, et maximoperè īminuitur virtus. Quicquid fidem non sapit, et ęternam non olet salutem, reputatur inutile. Extra fidem, nihil accidit boni. Elongatur infidelis à Deo, et veram Dei cognitionem non habet. Mandatis Dei contradicit, et salutaris doctrinę docu-

men

menta non audit. Ad infamiam cuncta pertractat, nihil ad gloriam. Comes infidelitatis, animi cęcitas est; ut bene agat, intelligere nescit; ut declinet à lapsibus, nouissima in mēte non repetit; ut scuto bonę voluntatis coronam acquirat, non gloriatur in Domino.

Humana prosperitas innocentię testis non est.

NOn inter delicias paternę domus, sed defatigatus itinere Iacob, lapidi caput innitens scalam de terra videt ad cęlum. Nūquam extitit labor pręmiorum mendax promissor. sēper in tribulatione dilatatus est ītellectus. Disponitur optime ī multis, vexatus in paucis. Quinam in summas adductus angustias non clamauit ad Dominum? Quando radios veritatis nouisset, nisi plaga diuina percussus Antiochus? Pręclara manat ab incommodis laus. Spectant ad iustum ęrumnę: sed semel afflictus non affligitur vltra. Humana prosperitas innocentię testis non est, et iter immortalitatis ignorat: nouerca virtutis somniat vanitates, et in insaniam abit: animos cęcat, et supercilia attollit ad luxus. Labor assiduus, et humanarum tolerantia rerum sunt gradus, quibus patet ascensus ad gloriam. Quale vnquam tranquillum gaudium otia procrearūt? Nullibi inuenta est sincera voluptas in plumis. Identidem coluber latet in pratis, et rosas obsident spinę. Voluptatum amator seruituti se subijcit, et viuit, ut mortuus. Nequit turpi-

turpitudini rerum obsistere, et obscęnitatem vitare verborum.

Necesse est malè olere, vbi Christi bonus odor non fiat.

IN vinea Christi vitis, quę denegat vuas, non vacat à spinis. Quę sterilis est bonorum, fertilis est malorum. Syluescit sarmentis, et partes in cunctas ambitiosa dispergitur. Nullos emittit flores, et omni suauitatis odore caret. Ferro amputata lachrymas profundit inuidię, non pœnitentię. Propagata ad exitium serpit, et nullam promittit vberioris vindemię spem. Gignere nequit, quod expedit, et producere gaudet, quod non conducit. Autumni legibus subiacere non vult, et vinū, quod esse debet compunctionis, abit in fel draconum. Transit in corruptelam amaritudinis quicquid degenerat à dulcedine gratię. Ibi malè olere necesse est, vbi Christi bonus odor non fiat. Adest malitia, quando bonitas abest. Non hinc charitatis, sed vitiorum expectetur ebrietas. Vniuersarum libidinum sitis hinc excitatur, nec ad hos calices inuitantur virtutum amici, sed perduelles. Longa scelerum cupiditas bibitur, et propinatur accumbentibus mors.

Cessante cultura tritici ubertas transit in lolium.

IN

IN campo fidei, quando ridet herbescens sub Sole viriditas, multiplicanda sunt vota. Votis duntaxat perficitur ſpes, quia crebris votis creberrimè flectitur Deus. Valdè laudatur in cultione ſedulitas, ſi diligentię ſeruiunt vniuerſa. Quotieſcunque cultura ceſſat, confeſtim vbertas tritici tranſit in lolium. Creſcit herbarum vndequaque temeritas, ſi iuſtitia naſcentes non reſecat ſpinas. Erumpit ex omni parte vaporum peruerſitas, ſi prudentia alluuiones non coercet aquarum. Tota ſubditur meſſis ventorum incurſui, ſi fortitudo radices non munit. Agrum ſuffocat redundantia ſtirpium, ſi frugalitas non moderatur exceſſus. Cùm terra aratur, altius imprimendus eſt ſulcus. Natura in profundo veritatem abſtruſit. Semẽ integritatis areſcit in ſuperficie. Vt meſſor exultet, ad ſatum ſępe vocanda eſt pluuia lachrymarum. Interdum ad frugem inuitandi ſunt venti. Gaudent ariſtę religionis auris turgere ſuſpiriorum.

Cibus uirtutis eſt ieiunium procedens à fide.

PErſuadet ieiunia fides, vt quos de Paradiſo ſaturitas expulit, ad Paradisum reducat eſuries. Inanitas ventris implet benedictionibus mentem. Inter delicias pudor non reſidet: inter epularum varietates deficit innocentię diſciplina. Exhilarat via uitę ieiunos, perterret mortis imago conuiuas. Ieiunij pallor, probatio cordis eſt Ieiunium uigilia co-

mi-

mitatur. Nunquam est tutus in corde thesaurus, nisi à ieiunio fiduciam sumat. Cibus virtutis ieiunium est, animi salus, delictorum excidium, gratię, et castitatis radix, et fundamentum. Prodeunt è ieiunio spirituũ munera, sanctitatis consilia, beatitudinis appetitus. In ieiunio reperitur magisterium pudicitię, mentis humilitas, castigatio carnis. Ieiunium est vexillum fidei, gloria senum, custodia iuuenum. Exterminatur è populo, qui saturitatem prętulerit continentię. Ignita Diaboli iacula ieiuniorũ frigore restinguũtur. Infirmat ieiunium genua, sed confirmat ingenium. Oleum carnem immutat, sed spiritum reddit lucidiorem. Virtute ieiunij currum igneum ascendit Elias, et instar Solis quadrigam moderatur ardentem. Daniel famem leonum non timet, et ieiunare leones docet. Institutum est cum luce ieiunium, et nisi bestię crearentur, orta non esset edendi necessitas. Accepit à gula principium nuditas. Statim ac edit Adam, virtutum velamine spoliatus, nouit se nudum. Tegitur gratiarum ornatu, et abigit tentatorẽ, qui pariter à peccatis abstinet, et à cibis. Non omnis fames est sancta; quę Dei timore suscipitur, illa laudabilis est, et digna pręconio. Quid iuuat faucibus ieiunare, si sensus non subduntur habenis? Approbat ieiunium Deus, quod intus interficit culpas, et foris egentium succurrit inopię.

Cœlum uim patitur.

RA

RApitur cęlum, non datur. Violenti rapiunt illud. Regni cęlestis adeptionem motus naturę non parat. Quod est supra naturam, corpus optare nequit. A lachrymis, ab eleemosynis, à ieiunijs uim patitur cęlum. Ad misericordias cogunt lachrymę Deum. Animam iustificant eleemosynę: carnem spiritui ieiunia subdunt. Huius violentię merces est illa beatitas, quę nullo pręcluditur termino, in qua fulget immensitas glorię, à qua manat gratiarum vbertas. Thesaurum diuinę gratię inertes non occupant. Tenentes ignauiter cursum, brauium non comprehendunt. Non confert spes lenta coronas. Nemo socordia factus est immortalis. Odit virtus eneraues animos. Idcircò flammę ignis ęquiparatur minister Dei, quia tendit flamma velociter sursum, nullo pondere premitur, et sēper lucis est consors.

Mundi contemptu, et carnis afflictione comparatur Cœlum.

DVę sunt alę, quibus iter arripitur cęli, contemptus mundi, et afflictio carnis. Labores, ieiunia, membrorum castigatio, perennitas lachrymarum, pennis Columbę sursum mentem accommodant ad volatum. Dignitatum, et opum despectio, pomparum, et leuaminum confutatio, honorum omnium contemptio, sarcina crucis, et sui nominis abnegatio, animam extollunt ad sidera. Inimica est Deo amicitia mundi. Amor carnis, et

Christi in vno corpore non conueniunt. Insipientia mundi spiritum veritatis non accipit. Diligit, quòd suum est: odit, quod est Dei. Sequitur caro corruptionem, et mundo crucifigi non vult. Impatiens disciplinę morem rationi non gerit, et transitoria pręponit ęternis. Nil manat immortalitatis è mundo, cuius figura, cùm velociter pręterit, inanem beatitudinis allicit spem. Vana est gloriatio carnis, quę semper ignara quietis, in cinerē miserabiliter desinit.

Nihil euenit casu.

DOmino non iubente nil fit. Aquę non fluunt, montes non fumigant, prata nō rident, astra non radiant. Dominus, qui capillos enumerat capitum, sensus regit vniuersorum. Quicquid aggreditur hominum genus, uenit ex alto. Perseuerat dies ordinatione diuina, nutibus Dei seruiunt elementa. Casu non accidit quicquam. In rebus humanis fortuna locum non habet. Vnamquamque naturam seruat Deus, rerumque vniuersitatē suo duntaxat moderatur arbitrio. Defert, et aufert: ferit, et sanat: animat, et exanimat. Pluries, quę pœna putatur, est medicina. Pluries, quod existimatur opprobrium, est triūphus. Nullum est malum, nisi quod est culpę conterminum: nullum est bonum, nisi quod est proximum innocentię.

Hominis sufficientia nulla est.

Au-

AVthor est meriti Deus, qui voluntatem adhibet operi, et opus à voluntate non remouet. Hominis sufficientia nulla est. Quicquid habet, accepit. Pendet è gratia meritū, et meritum beneficio semper est minus. Merita cadunt sub numero, longè tamen excedunt beneficia numerum. Nequeunt cum meritis beneficia compensari, et meritorum dona in beneficijs coronantur, nō merita. Quādo Pater agnosceretur, nisi per filium? Quando daretur accessus ad filium, nisi permitteret Pater? Hominis opera fores cęli non reserāt, si quasi pannus menstruatę sunt hominis vniuersę iustitię. Brauium nō comprehendit nec volens, nec currens. Dei tantum miserentis effectus est, cùm vocamur ad nuptias, cùm collocamur ad dexteram. Iuxta laborem promittitur merces, sed sicuti cuique conceditur sine merito, vnde tendat ad meritum, ita cuique tribuitur ante laborem, vnde promereatur non alienam à labore mercedem.

Donis Spiritus Sancti repleta est Ecclesia.

ECclesiam, quam prius implebat fumus, implent nunc dona Spiritus sancti. Fulget in igne, quę caligabat in nube. Detecta est nubes, absumptus est fumus. In fluminibus aquę viuę patent arcana cęli: linguis ignitis Dei magnalia promulgantur. Aqua cum igne non pugnat, et ignis, et aqua pręparant vitā. Si fluit sapientia salutaris ex vna, dependet

ex altero lumen amoris. Vna peccatorum diluit ſordes gratiarum influxu: excitat alter cogitationes ęternas incendio charitatis. Super vnam auditur uox Domini: ſuper alterū cęleſtis Columba volat. Vtrinque licet ſperare triumphos: hinc contemnendo, hinc diligendo. Prouenit decus è mundi contemptu, quod illi ęquale mundus vnquam non nouit. Exoritur laus è Dei dilectione, quę nisi cantibus Angelorum, exprimi nequit. Ab illo diſcit hominum genus mortales exuere ſenſus, et conſortium inire cum Superis. Comprehendit ab iſta diligentium chorus lumine illo circumdari, quo cęli ſpeculatur arcana, et Deum intuetur, ut eſt.

Cęca eſt ignara diſciplinę mortalitas.

MAndatis Dei non credit, qui de ſcientia doceri non petit. Sonat ſcientia diſciplinam, è qua gignitur ſpes, incrementum accipit fides, et viam uitę intellectus agnoſcit. Nulla eſt compoſitio morum, nullus eſt rerum ordo, ſi deficit diſciplina. Contemnitur vox Columbę, et in pręceptis fingitur labor. Virtutum obſoletus eſt ſermo, et religionis conſuetudo permutatur in corruptelam. Placet procacitas, et exercetur in ſordibus ętas. Cęca eſt ignara diſciplinę mortalitas. Radios veritatis non intuetur, et tenebris circumfuſa multiplices excurrit in lapſus. Vapulat nulla dignus miſericordia populus non

intel

intelligens, et captiuitatis incommoda patitur. Ignorat, quàm sit gloriosum regis sacramentũ abscondere. Composita verba non habet, et imperitè flagitijs pascitur. Inimica diuinitati stultitia est. Peruersis affectuũ mãcipata cupiditatibus, nec exemplum, nec regulam quęrit: legi non seruit, et perduellis est rationi. Iniustitias in directione cordis negligit confiteri, et vitę salutem omninò desperat.

Descriptio Zeli.

ZElus domus Domini feruet amore, et simultatis est incapax. Obsecrat, increpat. Flagrat charitatis ardore, et ad iustitiam vniuersos inuitat. Illum non comedit, quem Dei pręcepta violari non piget. Omnes sibi existimat hostes, quos Deo nouerit perduelles. Odio perfecto contra criminationes assurgit, et ignescit, et strepit. Impetu rapitur sancto culparum vltor, et furit, et dolet. Reprehendit, quod nocet: execratur quod non ędificat. Adolescens cum zizania triticum sustinere non potest. Ante porcos vetat proijci margaritas. Lucernam sub modio abscondi non vult. Amat pati, et diuitias, et honores non appetit. Ita paruum, ac magnum amplectitur, incommoda sequitur, non delicias. Interdum suauis, nonnunquam seuerus. Viget ornamento virtutum, et humano non lenocinatur affectui. Mentiri nescius ęmulatur charismata meliora. Sanctorum scientia pollet,

et in singulas horas gratię postulat incrementum. Quamuis spernatur, haud cessat, et modestię velo pręcingitur. Nunquam honoratior, nisi quando contumeliosior. Auidus aliorum, suam nec salutem intuetur, nec gloriam. Infirmatur cum infirmis, et cum languētibus languet. Scit apud Deum zelo animarū non esse acceptius sacrificium. Humilem maris imitatur arenam, dum sistere fluctuum conatur insaniam: immobilis commoratur in littore tantò potentior, quantò suauior. Oleum pollicetur effusum, et vbera vino iucundiora non cęlat. Aquas haurit de fontibus Saluatoris, ut reficiat sitientes. Virgá vigilans est, quę flores promittit, et poma.

Misericors, et miserator est Dominus.

DIuinitatis proprietas est, misereri semper, et parcere. Vindictam amare non potest, qui omnibus exhibet documenta salutis. Neminem reijcit, qui omnes inuitat ad mensam, cunctosque vinculo constringit amoris. Satis est errata fateri, satis est ingemiscere, et Dei misericordia pręsto est. A reuersis ad pœnitentiam nescit auertere faciem: nullū de pusillis perire sinit. Misericordia Dei tota tellus est plena. Adsunt repente diuina pręsidia, quando humana deficiunt. Misericors, et miserator est Dominus, et antiquarum miserationum obliuisci non potest. Compatitur infirmitatibus hominum, et promissiones sępe recē-

recenset. In uisceribus fouet maiorem omni iniquitate clementiam, et mauult vocari Pater, quàm Iudex. Dulcedinem vndique redolens suauiter vniuersa disponit, et potius gestit Rex pacificus, quàm Deus exercituum appellari. Gaudet nomen Leonis cum Agni titulo commutare, et citius gratiarum vasa exhaurire, quàm furoris, et iracundię. In basi misericordię collocatum habere vult solium, et omne animal benedictionum liberalitate confirmat.

E' timore Domini spes, et Salus.

TImenti sperare solummodò licet. Dei honor est, timor hominis. Fidei partus est timor, qui virtutum confinia peragrans, gestat in moribus spem. Circundamur vndique magnis inimicorum agminibus. Hostium plena sunt omnia. Thesaurum nostrum in vasis fictilibus possidemus, crudelem pugnam sustinemus in corpore. Captionibus, et insidijs intercludimur, sensus experimur ex omni parte fallaces. Dimicatur intus, et foris, et victoria certa non est. Timor Domini est pars victorię, paraturque timore securitas. Nunquam magis creditur Deo, nisi cùm magis timetur Deus. Quis nouit vnquam mercedem timentium vacuam? Quoties timorem Domini concepерimus, salutis spiritum peperimus. Pēnas columbę ad cęli volatum addit pedibus timor Domini, qui legem Dei concludit in

corde, et tot de hostibus agit triumphos, quot in sensibus occuluntur affectus. Vetitum est altum sapere, non timere. Nisi metueret sapiens, non declinaret a malo. Oritur è timore beatitas illa, quę corruptionis est expers, benedictionis est particeps, et coronam exultationis adornat.

Effectus fidei puritas cordis.

PVritas cordis effectus est fidei. Lampas est fides, quę semper appetens oleum charitatis, mentem illustrat, errorum tenebras fugat, et veritatis explicat diem. Noctis vmbra non nocet, sordium turpitudo non adest, vbi Domini fulget lux. Vndique splendor rutilat honestatis, odorumque suauitas vndique spargitur. E' fide manat integritas illa vitę, quę iaculis non eget, nec arcu, et quoscumque periculis obsitos peragrat locos, secum animi securitatem adducit. Aduersus, quod agit, externum non formidat accusatorem, et conscientiam murmurare non sentit. Aut fulminent sidera, aut fumigent montes, tranquillitatis otio fruitur. In malis expectat bonum, et è tempestate auspicatur quietem. Ignominiam paupertatis non metuit, quę gratię vestitur amictu. Nullis potest subijci incommodis, quę benedictionis est locupletata muneribus. Obscuritatem generis nescit, quę adoptionis titulo decorata, cum Angelis feriatur in cęlo. Aspernatur desideria carnis, et hono-
res-

res sęculi floccipendit. Ornamenta concupiscit virtutum, et laudes immortalitatis vsurpat.

Initia Salutis ęternę sunt spes, et timor.

AVt desperat salutem, aut fore non putat iudicium, qui non timet, et bonis operibus se non pręparat iudicanti. Forsan, qui cecidit semel, resurgere nequit? Licet cunctis à via aspera conuertere gressus. Quicunque conuersus gemit, iam saluus est. Sępe post ęgrotationem sanitas adest, et post tenebras clarior emicat Sol. Visum est pluries canescere, vt nix, quod nigrescebat, ut coccinum. Quicumque suas proiecerit impietates, potest cor nouum, et spiritũ nouum assumere. Multum interest Columbę pennas accipere, et volare. Volanti promittitur quies. Appellabit ad dexteram Iudex, quos in terra iacere non nouerit, et extollet ad regnum, quos sãcti timoris corona inuenerit coronatos. Initia salutis ęternę sunt spes, et timor. Solatium laboris est spes: fons vitę est timor. Qui sperat, non dormit, et vigilans Saluatorem expectat. Qui timet, adhęret Domino, et vnus Spiritus est cum eo. Circumdat euestigiò misericordia sperantem in Domino; et Domini nomen timenti confestim paratur hęreditas glorię.

Promissa malitię non sunt seruanda.

IN

IN malis promissis rescindere fidem, religionis necessitas iubet. Seruare nunquam fas est, quod promittere nefas fuit. Ad pactionem quis venire cogetur, quàndo è pactione percrebescit infamia? Irritanda est promissio, quę sine scelere nequit impleri. Æquè perniciosa est ei, qui spondet, ac ei, qui sperat. Pręstitum contra iustitiam iuramentum non ligat. Longè, et retrò ponendum est, quod honestatem non sonat. Quomodo testis aderit Deus, vbi redolet turpitudinem obligatio? Omne, quod ad Dei gloriam, aut ad proximi charitatem non pertinet, vanum est. Quicquid à virtute declinat, vanitati finitimum est; et refellendum omninò non solum est malum, sed etiam suspicio mali. Qualibet vmbra mali violatur integritas mentis. Nullum permanet opus hominum, quod fundamento vanitatis insederit. Vtilius est nolle, quandiù velle deterius est. Dei voluntati resistit, qui uanis inhęret. Amittit bona, qui mala promittit. Mundi sęculo conformatur, et sursum non eleuat cor. Semper sapientis est, in turpi uoto mutare decretum, et quod ęquitati repugnat, propulsare propositum.

Non est fides sine amore,
neque amor sine fide.

EXpers fidei ignarus amoris est. Virtutum cupiditate non flagrat, immortalitatis non ęstuat desiderio. Excidit amor, si deficit fides, et vnde semel abijt fides, nunquā redijt

amor

amor. Fides ſine amore nil agit, et amor ſine fide non inuenitur. Violenta res amor eſt, et impetu fertur fides. Rapitur alter, et neſcit ũde veniat, aut quò uadat. Altera iactat ſe liberam, ſed à Chriſti charitate ſeparari nõ poteſt. Ille fortis, ut mors, perfectionis vincula conſtruit: iſta reſplendens, ut lux, molitur opera lucis. Vtriuſque eſt legis impletio, et gratiam promereri. Lex non impletur, niſi cuſtodiat amor legem: gratia non apparet, niſi gratiã parturiat fides. Fidei munus eſt agnitio legis, effectus amoris eſt acceſſio gratię. Abſque gratia fides filios Dei non facit: abſque lege amor non coronat beatos. Vę illi, qui fidem augere neſcit, et geminare non callet amorem. Sperat incaſſum pacis pulchritudine frui, et multum à fiducię tabernaculis diſtat. Plurium cupiditatum perpeſſione laborat, et varijs intercluſus anguſtijs amictum non induit innocentię.

Perſeuerantia effectus miſericordię Dei.

DEi miſerentis effectus perſeuerantia eſt. Homo nec volens, nec currens complet opus, quod inchoat. Deo monſtrante iuſtitię ſemitas ambulat iuſtus, diſcitque à Deo gloriam regni, ſanctorumque ſcientiam, laborũque perfectionem. Quando fructum palmes ediderit, niſi in vite permanſerit? Quoties dexter non adeſt Deus, inconſtans, et cęcus eſt homo, in omnem ventum ſe ventilat, et

om-

omnem aggreditur viam. Ignorat ordinis dignitatem. Rebus non resistit aduersis, et in difficultatibus deficit. Nullam inuenit in fortitudine laudem. Si cadit, resurgere nescit. Nullam mercedem exigit ab obsequio. Ad decus egregium finis non peruenit. Mittit manum ad aratrum, sed respicit retro. Incipit ędificare, sed ędificium consummare non potest. Humana voluntas arbitrij libertate non consequitur gratiam, gratia verò consequitur libertatem arbitrij. Nisi, quem doceat Deus, nemo Dei voluntatem implere ualet.

Sine misericordia, fides non lucet.

ORnamentum fidei misericordia est. Nō lucet fides, si misericordię non resplendet ornatu. Sacrificio caret, cùm miserationis est inops, et diues videri non potest, cùm fœnus non exercet amoris. Fulget ad vniuersorum charitatem accommodata eò splendidior, quò clementior. Quasi nubes pluuię, vbi siccitas est, agricolarum exhilarat animos: iniquitatum propulsat iniurias, et gratiarum excitat fontes. Nunquam eleemosynarum seges mentitur. Incertam operis spem non habet cultura pietatis. Clemens est cęlū, fecunda sunt elementa, vbi germinat pietas. Vile transit in pretiosum, simplex multiplicatur in centuplum, è caduco coagmentatur ęternum. Misericordię magnus est quęstus, vltricem auertit iram, et semper aut remittit, aut abo-

let culpam. Vitę, quę nunc est, et futurę promissiones amplificat. Rectum salutis indicat iter, tentationesque vltra uires cumulari non sinit. Misericors dat, et accipit: dispergit, et congregat. Audit malum, nec declinat à bono, et quantumuis impiorum subdatur obtrectationibus, officia charitatis non obliuiscitur.

Fidelis verè abnegat seipsum, tollit crucem, et sequitur Christum.

VEre argumenta sunt fidei, abnegare seipsum, tollere crucem, et sequi Christũ. Qui titulis gloriatur auorum, qui voluptatum sectatur illecebras, qui in corpore baptizatus, sed in animo est cathecumenus, iuxta fidem non uiuit, sed iuxta genus. Obliuiscitur domus suę, qui Christi vult esse Templum: Crucifigitur Mundo, qui baiulat crucis onus: abhorret à vitijs, qui sequax est Christi. Adhuc, cùm viriliter agit, se confitetur infirmũ: gaudet, cùm contumelias patitur, et esse aspernatur in semetipso, si in Christo non est. Nesciunt, qui non credunt, è iactura deduci lucrum, si solum, qui perdit, inuenit animam: meti gaudia è satione dolorum, si vera fluit è cruce lętitia: in paupere Christo non fluxuras reperiri diuitias, si thesaurus absconditus Christus est. Patet omnibus aluisse speciosa desertum, processisse è serpente salutem, latuisse in stabulo Dominum dominantium. Infideles sunt, qui primas cathedras amant in

syna

synagogis: qui nouissimorũ obliti, dies omnes ducunt in bonis : qui seruientes mammonę abeunt cęci post auram. Illi ęgrorum languores non sanant, salutis calicem non accipiunt, supra pectus Domini dormire non cupiunt.

Fidelis sapit, intelligit, et nouissima prouidet.

SApit, intelligit, et nouissima prouidet fidei firmus, et non inconstans amator. Disciplinam corde custodit, et in omnibus metuit. Cogitationes cogitat pacis, et opera charitatis interpretatur. Rerum, et generum summam circumspicit, et nullo pũcto temporis intermissio rationem à sensibus repetit. Vnus mille non timet, et inscius labis confidit, vt Leo. Sustinet casus ęquè prosperos, ac aduersos, nullaque animi perturbatione concutitur: Intus, et foris cuilibet turpitudini resistit inuictus. Sanctorum scientia prędtus, prophanis non inhiat pompis. Hominum vanitates agnoscit, et de rebus humanis passionis est expers. Meditatur vltima Mundi, lãpademq. suam oleo refercit assiduo, ne cùm veniet spõsus, indigeat oleo, et excludatur à nuptijs. Nihil sapit, et corpus Christi dilaniat, qui diuinę suauitatis est incapax. Nihil intelligit, et sine consilio in mundi pelago nauigat, qui non credit, et annos ęternos non percipit. Nihil prouidet, et nullo dignus est gaudio, qui tenebris obrutus iacet, et futuri diei non ex-

expectat auroram.

Sine fide talenta multiplicari non possunt.

DVplicantur talenta, si fides adest. Ventus non expectatur, et seminatur, et metitur. Siderum cursus non obseruatur, et de longè portatur panis. Vltrò elementa accommodantur ad spem, et suapte respondent votis euentus. Flores delectant honestatis, et lilia pudicitię. Nixus mendacijs sermo non sonat, et à periculis negotia vacant. Fortia placent, et in gloriam euadit infirmitas. Statim, quę recepta sunt quinque, multiplicantur ad decē. Vident oculi contemptibilia Mundi, et inter lachrymas nauigant, ne à pręceptis Domini aberrare perdiscant. Audiunt aures sęculi vanitates, et gaudent sepiri spinis, ne verbi nequam corrumpantur ingressu. Percipiunt nares vitiorum fœtores, et ad sacramentorum odorem prouocant pedes. Tractant manus opera charitatis, et membra corporis castigare non cessant. Gustant labra dulcedinem gratię, et quascunque terrarum fastidiunt dapes. O quàm miserè sepulta iacent sub humo talēta, si fides abest! Operationem omnium sensuum occupant desideria carnis. In contrarias partes rapitur facultas omnis. Ordinatione nō permanent dies, et naturę legibus elementa non seruiunt.

Non credit, qui secus docet, quàm viuit.

SEcus docere, quàm viuit, credentis non est. Turpe est alios ad honestatem accersere, cùm quis corruptelarum illecebris irretitur. Aliis persuadere constantiam, quando quis Luna volubilior cernitur. Alios hortari, ut ieiunent, cùm quis abdomini indulget. Frustra candorem liliorum laudat, qui habitat inter spinas. Ab operibus verba distare non decet. Nil prodest, ut quis ignescat, ut carbo, si alijs non lucet, ut lampas. Mouent verba, sed magis mouent exempla. Fortius arguit opus, quàm uox. Sępe, qui verbo dormitat, excitatur exemplo. In sacris litteris dignius testimonium pendet è manibus, quàm è voce. Non voci Iacob creditur, sed manibus Esau. Benedictionem extorquet non vox, sed manus. Volant per aerem verba, et nullum vestigium relinquunt itineris. Angeli non solum cantu, sed etiam alarum explicatione nos vocant ad gloriam. Iustorum est, non tãtum fulgere, sed etiam tanquam scintillę in arundineto discurrere. Inter exemplum, et verbũ hoc interest: aures verbo, oculi confirmantur exemplo. Verbum aliquando plenè non probat: exemplum semper conuincit. Aduersus nequitiam vitiorum, vtrumque necesse est. Latratu canum, et virga pastorum rabies ferarum arcetur.

Cęcus est infidelis.

CĘcitas cordis infidelitas est, et quid credat, et quid agat, ignorat. In vanitate sensus

sensus obambulat, et obscuratum possidet intellectum. Redemptionis animę suę perdidit drachmam, et vt illam inueniat, nec lucernã accendit, nec domum euertit. In exitium cęco impetu ruit, et deuitare nescit errorem. Principiorum originem non aduertit, et tenebras nancifcitur in meridie. E' terra non cernit produci spinas, et aliud, pręter ęrumnas, ex ipsa nihil erumpi. Non percipit terrã terrę accepiße nomen, vbi rerum vniuersitas teritur, et quorumcunque terminantur ętates. Negat fieri regenerationem in aqua, et ab igne Spiritus sancti nouum vitę spiritum excitari, naturę primęuę crimina dilui, et melioris ęui progigni dies. Æternos in mente non habet annos, et immortalitatis inficiatur honores. Renuit vndequaque tubarum sonitũ è tumulis reuocari cadauera, et omni ex parte mundi molem ignescere: Sanctitudinis vasa inexhaustę suauitatis odoribus imbui, et vasa nequitię ignibus recoqui sempiternis.

Vrget fides, ut falsitas, et humilitas simul non habitent.

SEde in eadem non resident falsitas, et humilitas. Humilitas receptaculum gratię est: Falsitas impiorum perfugium. Inuitat humilitas filios lucis: falsitas filios tenebrarum appellat. Amat vna concordiam, altera est dissensionum inuentrix. Vna innocentię decoratur amictu, altera scelerum tegitur apparatu. Suauis vna germinat sicut lilium: aspe-

E ra,

ra, quaſi dumus, altera ſterileſcit. Vna fores ſibi reſerat cęli, altera portas ſibi recludit abyſſi. Vrget fides, vt vtraque ſimul non habitet. Agna cum lupo non coit: Cum ſerpente columba non canit. Sponſi aduentum expectat vna, à nuptijs repellitur altera. Vna à virtute ſeiungi non vult, altera à malitia declinare non poteſt. Seruatur vni corona iuſtitię, alteri tormentorum ſempiternus pręparatur amaror. Hypocritę tantum, quorum gaudium eſt inſtar puncti, ſimul, et ſemel facies accommodant ſanctitati, et animos ad nequitiam. Scoriam confundunt cum puro, et perperam contra verum mendacio ſtare pręſumunt. Æterno pręferunt momentaneum, et quando verè ſunt Satanę, ſe transformant in Angelos lucis.

Deficiente fide, peccatum non deficit.

QVando in homine rumpitur fides, delet memoriam intellectus, et à voluntate rebellat. Errorum obuelatur amictu, beneficiorum obliuia potat, et charitatis extinguit ardores. In exitium cuncta conuertit. Latè patens humani generis bonum fidelitas eſt: hac ſublata, commerciorum ſublatus eſt vſus, abolitum eſt amicitię fœdus, vniuerſę rei publicę perturbatus eſt ordo. Ideò, qui ex fide duntaxat ſunt, hi ſunt Abrahę ſolummodò filij, et gaudet potius fide, quàm victima Deus. Hęc eſt generatio quęrentium Dominum,

quę-

querentium faciem Dei Iacob. Quodcunque vitium, etiam si maximum sit, infidelitate tolerabilius est. Ne quis à fide deficiat, testamento ex vtroque sancitum est. Quid est aliud labem addere labi, nisi dubitare de fide? Aliter enim cum fide, aliter viuitur sine fide. Omnis infidelium vita, peccatum est. O quot opera charitatis vna eripit infidelitas! Nihil est mali, quod à fidei detrimento non trahat originem. Ab interitu fidei processère calamitates. Maius, quod homini accedit incommodum, est absentia fidei. Nusquam apparet beatitas, nisi in gremio fidei. Spes libertatis in fide est. Magnum presidium est fides integra, fides vera, quę semper velox incedit, et temeritatis est expers. Moram, vt amor, non patitur fides. Non est amantis hęrere. Languet virtus, cùm lenta est. Virtuti quantum adijcitur morę, tantum adimitur gratię. Quis nescit moram ex difficili humani ingenij cōiectura progigni? Fides veri similitudinem certissimam comprehendit, et anceps esse non potest. Veritatem explorat, nec quà ratio, sed quà veritas persuadet, progreditur.

Qualis est amor, talis est mos.

AMores distinguunt mores: Si sanctus est amor, sanctus est mos. Si nequam est mos, è sancto amore non gignitur. Æternos oblitus annos amor mundi corruptibilia docet, et ad voluptates ingenium acuit. Ad om-

ne libidinum genus inflammat ſenſus, et falſas ſectatur inſanias. Domi furit, et foris. modò tentat, modò deſperat: erubeſcit, faſtidit: reſpuit, cupit, et quid agat, non inuenit. Impudicitiam profert intuitu: vanitatem oſtentat inceſſu. Abhorrens ab huius ſęculi libertate Amor Chriſti virtutum ornamenta deſiderat, et quicquid ſanctitatem non olet, omninò contemnit. Currit ſtadium mandatorũ, et quàm maximè poteſt, contendit, ut vincat. Innocentiam vndique ſpirat, et gratiarum oblectatur authoramento. Concupiſcit, et ęſtuat: audet, et languet. A' Chriſto ſeparari non ſuſtinet, et propter Chriſtum exiſtimat omnia ſtercus. Quantò eſt tellure lucidius cęlum, tantò eſt amor Chriſti amore mundi ſplendidior. Vile, et impurum eſt, quod procedit è mundo. ſublime, et ęternum, quod dimanat à Chriſto.

Si diuino amore munitur animus, uitijs caro non ſeruit.

NEquit caro corrumpi, quando incorruptus eſt animus. Si in carne non ſeminat animus, corruptionem caro non metit. Miniſtra animi caro eſt: exequitur quicquid animus iubet. Si diuino amore munitus eſt animus, vitijs caro non ſeruit. Si a naufragio immunis eſt animus, non eſt naufraga caro. Animi dedititia caro tunc vinculum ſeruitutis agnoſcit, cùm vltrò captiuus eſt animus. Animus violentiam non formidat: neque vi, neque

neque violentia opprimitur caro. Vtrique crimen non adijcitur reluctanti, si neutrius est imbecillitas, neutrius est impotentia. Altera malis subdi non potest, si inuictus est alter. Si alter à lege non discrepat, altera sensuum refellit illecebras. Si disciplinę compos est alter, rationis est altera particeps. Vix Christum induit animus, quando mortalitatẽ exuit caro. Repentè habitat bonum in carne, si Christus fulget in animo. Non est caro procliuis ad casum, nisi deserat animus fidem Christi. Arbitrij nihil superest carni, quando ex totis animi viribus diligitur Deus.

Languet fides, quando cessat à bonis.

FIdes aliquando non cessat, sed languet. Gratias Deo non agere, laudibus parcere, à bonis uacare, sunt argumenta languoris. Proxima est ingrati animi turpitudo, quoties diuturna non resonat beneficiorum confessio. Efficacissimum genus rogandi est, gratias agere. Cordis recti non est à psalterij canticis feriari, et ad laudes non conuenire cum astris. Probitatem non olet, disciplinam deserere sanctam, et ad fortia manum non mittere. Statim à veritate deflectitur, et primum paulatim euanescit propositum, si in operibus fidei datur locus ignauię, et iustitię gressus gubernat languor. Charitatis flamma non ardet in pectore, si in benedictionibus os nõ versatur. Nunquam vincula iniquitatum dis-

rupta dicentur, ſi laudis ſacrificium non offertur. Nulla uirtus effulget in moribus,ſi ſãctitas deeſt in actibus . Iugum Domini ſuaue non eſt, cui iuſtificationes non ſunt in peregrinatione cantabiles. Quando hauriet ſacramentorum odorem, qui precibus cęlum non pulſat? Verba vitę non audit, qui mandatorũ non currit viam .

Fides non deficit, quando ſemper oratur.

NE deficiat fides, ſemper orare neceſſe eſt. Valdè potens eſt fides, quando gliſcit oratione , et oratio lachrymis madet : quando lachrymę coaleſcunt ieiunijs, et ieiunia procreant eleemoſynas. Auget oratio diſciplinam, et cuſtos eſt vitę. Lauant animam lachrymę, et pręparant veniam. Coercent ieiunia carnem, et mores exhibent Angelorũ. Eleemoſynarum viatico fidei curſus perficitur, et brauium comparatur in cęlo. Hoc comitatu munita fides virtutes poſſidet omnes, indeficiens hęret in pectore, ſplendetque per ſeſe dies, ac noctes, nec alienis unquam ſordibus obſoleſcit . Sanctorum ſplendoribus fruitur, et ſiuè in corpore, ſiuè extra corpus, cęli ſpatiatur in aula. Nihil petit , quod non accipiat. Clamat , et exauditur. Iubet montes, vt ambulent: cogit undas, vt lapideſcant. Cuncta ſubijacent imperio fidei, cuius fines nec cęlum, nec terra pręſcribit; cuius pręmio impar eſt labor, cuius mercedi minus eſt o-

pus

pus. Fides est thesauris omnibus opulentior, uirtutibus omnibus fortior.

In Christo, et propter Christum parentes, et filij debent amari.

NOn est Christo dignus, nec Christi potest esse discipulus, qui parentum, aut filiorum super Christum amator est. Quod Christus largitur, non dant filij, nec parentes. Minus diligitur Christus, si simul cum Christo diligitur aliquid. Qui distributor est omnium, diligendus est super omnia. Nisi in Christo, et propter Christum non sunt amandi parentes, nec filij. Quidpiam amari cum Christo lex amoris diuini non patitur. Amor spiritualis non bene connectitur cum carnali. A' summo bono recedere, et ad creaturas cõuerti, manifesta perditio est. Vana, et iurgijs plena est, quę à parentibus expectatur hęreditas; quę speratur à Christò, sempiterna est, et pacem vndique spirat. Non dirimit iura sanguinis amor Dei, sed vectigal, quod sibi debetur amoris, exposcit, vt nihil supra. Apud oculos Dei, pręter amorem, nihil acceptius est. Quęrit ab vnoquoque dilectionis obsequium, à singulis exigit charitatis officia. Omnis amor, nisi, quo Christus amatur, est mendax. E' Christi dilectione oritur peccatorum remissio, operum sanctitas, virtutumque fœcunditas. Vbicunque deficit Christi dilectio, rerum confusio pullulat, vitę nullus est ordo, et salutis ęternę spes abest.

Vita sine tentatione non est in mundo.

VIta in mundo sine tentatione non est. Vt quis è baptismi lauacro prosiluit, statim accommodandus est ad tentationum irritamẽta. E' balneo salutis ad arenam transitur ancipitis pugnę. Pugnatur, quandiù viuitur: nec deest intus, quando pugna foris exardet. Adest vbique tentationis occasio. Quisnam, nisi certauerit, poterit adipisci coronam? Nulla est sine aduersario uirtus, nullus sine congressione triumphus. Gignitur è tentatione probatio, et probatio profectu non caret. Supra vires non est tentatio. Eò gratiarum cumulatur ubertas, quò multitudo tentationũ augetur. Prodit è tentatione prouentus. Maximum uiget inter ęrumnas consilium. Firma in rebus aduersis agnoscitur fides. Si quis tẽtatus non fuerit, quid vicerit? Si quis non extiterit victor, qua coronabitur gloria? Inuenit tantùm se dignos, quos tentauerit Deus. Vulnerat, et medetur: percutit, et sanat: flagellat, et saluat: deducit ad inferos, et reducit. Neminem reddit gloriosum diuturna prosperitas. Sine tentationum experimentis opera uirtutis non fulgent. Nunquam bene disponetur in multis, qui non uexatur in paucis. Salutis initium est tentatio. Nisi tempestas pręcesserit, non est grata serenitas.

In domo Dei quęritur amor, ut nihil supra.

Ex-

EXcluditur ab Ecclesia mediocritas charitatis. mediocritas nunquam est satis. finitima est mediocritas minimo, et minimum parum distat à nihilo. Placet in Ecclesia charitatis excessus, nec admittitur tepor. Prętec sidera in firmamento, nil lucet. In diadematibus regum lapides, si pretiosi non sunt, locũ non habent. In cęteris domibus mediocre studium est amabile: in domo Dei quęritur amor, ut nihil supra. Quęritur amor nimius, ut incipiat esse sufficiens. Fines, et modum non recipit, qui amator est infiniti. Quem premit cura cęlestium, non decet olere terrã. Odit caduca, qui concupiscit ęterna. Caducorum, et ęternorum diuersus est vsus. Altera tendunt deorsum, altera sursum aspirant.

Summum quęri debet, ut perueniatur ad medium.

SI summum non quęritur, non peruenitur ad medium. Eleuatur voluntas ad spem, sed spes voluntatem non perficit. Multa ferè in principijs euanescunt, rara conquiescunt in medio, nulla propemodum finem attingũt. In omnibus rebus optimi difficilis est perfectio. Semper euentus est voto minor, nec unquam primis extrema respondent. Quicquid est in mundo perfectum, ante oculos Dei redolet imperfectum. Plurimum humanę iustitię sapit aliquid praui. Bonum ex integro terra non habet. Plerumque, qui splendet, vt stella, desinit in vaporem; qui lucet, vt flos, mar-

marcescit, et fœtet. Sępe possessor est plumbi, qui aurum habere putat, et paleam seruat, qui credit triticum collegisse.

Auri cupidus, fidei studiosus non est.

Elicitur è Templo mercator. Auri cupiditas fidei studiosa non est. Sanctuarij iura non seruat, et leges abrumpit, et fas. Odit sanctitatis odorem, et execratur religionis oracula. Mendaciorum pręstigijs utitur, et veritati aut non congruit, aut repugnat. Lucrū expectat è fraudibus, exigitque incrementū è dolis. Comparat quęstum ex alterius damno. Ignara iustitię complet iniquitate negotium, et expers quietis quęrit quietem in cēsu. Templum, domus orationis est, ubi magnum uectigal, inopia est, et dispergere, est congregare: Insanire, est sapere, et honores contemnere, est honorari. Nescit orare mercator, qui numerat nummos, non stellas, nec inhibet sordes à mercimonijs. Qui meditatur vsuram, non misericordiam pauperum, nec admittit pietatis affectus in fœnore. Periurijs captat, non precibus metallorum accessiones. Statim ab honesto discedit, et laudum studia negligit. Sapientię radios paruipendit, et fulgore diuitiarum cęcatus in summo errore, et in maxima rerum ignoratione versatur.

Fides non adest, si charitas abest.

Quo-

QVoties operibus non excolitur charitas, amittitur fides. Esse desinit ignis, quando ignis non lucet ardoribus, et ad superiora non euolat. Expers operum ignis esse non potest. Necesse est fidei, velut igni, vel illuminare, vel urere. Mundi nouissima cogitat, et cęli altissima petit. Insimulationes insurgunt statim ac prima relinquitur charitas. Non custoditur pręceptū, si pręcepti finis non obseruatur. Accessio fidei, incrementum est charitatis. Si alget vna, non calet altera. Si vna est fortis, ut mors, altera fulget, vt lampas. Si vna iustitię semitas currit, ut gygas, altera de virtute in virtutem progreditur, ut Columba. Si vna procellis agitata plus ardet, altera tempestatibus oppugnata plus floret. Quando operit charitas vniuersa delicta, elicit fides è forti dulcedinem. Non est sine fide dilectio: non est sine dilectione credulitas. Roborat charitas fidem, fides charitate firmatur. Iacere vtraque respuit, et fideliter vtraque tendit ad actus. Absunt simul, si simul non adsunt. Ita quisquis iustificatus ex fide, pacem habet ad Deum, meritum consequitur gratię, et tanquam filius Dei ad cęlestem vocatur hęreditatem.

Inter dissensiones fides non permanet.

COgit in vnum animos fides, et carnē diuisos charitate coniungit. Adest pax, et tranquillitas status, quibus vna quies est ope-

rum

rum, quibus vnus est labor. Confusionem parit diuisio, vnitas nectit amoris nodos. Oritur è votorum diuersitate seditio. Destruitur regnum contra seipsum diuisum. Nulla sufficiũt spatia dissidentibus, et inuicem consumuntur. Cum veritate non congruunt, et in diuersa cursantes insaniunt. In scandala ruunt, et peiora speculãtur exitia. Cessat omnis inter dissensiones religio. Nomen Domini in choro benedici non potest, quando vnanimitas abest. Pendet ex animorum ęqualitate propagatio fidei, et quodlibet opus iustitię ab ęqualitate non distat. Pacem colentes Dei filij nominantur. Fauum diffundunt è labris, et singula verba pietatis affectu distinguunt. Conspirant in idem, et pariter remum ducunt. Eadem sentiunt, eademque simul decernunt. Artes cunctas ignorant nocendi, et locum vllum iniquitati non dant. Inuicti manent concordes, et cum ijdem parent, et iubent, simultates nec obscuras, nec apertas admittunt.

Statuit fides, vt proximus diligatur.

MAndat vnicuiq. de proximo fides. Pro amicis prodigendus est sanguis, dissipanda est pro fratribus anima. Sua non sunt attendenda, sed aliorum. Latum mandatum est charitas. Etiam ignotis impendenda sunt beneficia: etiam inimicis conferendę sunt gratię. Iniuriarum obliterent characteres christiana aduersaria mentium. Nullam feruens offen-

offenſionis chriſtianorum corda memoriam. Ignoſcendi conſuetudo imagines omnes indignationum aboleat. Nemini licet reddere malum pro malo. Odio proſequens fratrem, non eſt in luce, vitam agit in tenebris, et propemodum manet in morte. Maledictus eſt proximi, vel clam, vel palam percuſſor. Quisquis habet, non habenti tenetur dare. Danti datur, et dimittenti dimittitur. Si non adſit dilectio, lex impleri non poteſt. O qualem afflat ſuauitatis odorem dilectio, quę peccatorum multitudinem operit. Summum perfectionis reſpondet infimo charitatis. Charitas tantùm ędificat. Abſque charitate quęlibet virtus eſt ęs ſonans, aut cymbalum tinniens.

Theſauros mendacio iuſtus non congregat.

VIuens ex fide iuſtus, pondera in ſacco diuerſa non habet. mendacij lingua theſauros non congregat. Æquo contentus ad honeſtatem accommodat actiones: innocentię ſtudioſus ſimplicitate componit verba. Vniuerſum lucrari mundum quid prodeſt, quando ſubditur anima detrimento? Non eſt dignitatis, nec fidei alijs nocitura parare. Conſulit non ſibi, ſed alijs, qui diuitias aceruat iniuſtè. Quicquid iniuſtè paratum eſt, dilabitur, diffugit, deuolat. Quoties verbis interficitur veritas, excidit è manibus abundantia: quoties in corde non ſedet integritas, ſubſtantiam depopulatur inopia. Adeſt, quaſi vir armatus ino-

inopia, et illicò expellit à domo quietem. Horrida, lurida induit calumniarum amictū. Animi laborat angustia, sed nō vacat ab ausibus. Fortunę obtrectat, spei maledicit. Elementa execratur, et cęlo non parcit. Inimica pudoris violat leges, et iura. Coniuncta malitię fraudes molitur, et dolos. Furit, insanit. Auida huc intuetur, et illuc, et prospectans vndequaque miseriam, operum meditatur infamiam.

Vbi proximi amor deest,
amor Dei non est.

FIdem negauit, et est infideli deterior, qui suorum, et pręsertim domesticorum curā non habet. Vbi proximi deest amor, amor Dei non est. E' cognitis ad incognita tollitur animus. Inuisibilium speciem referunt visibilia. Barbarum est, non dirigere errantes: impium est, non succurrere lapsis: inhumanum est, afflictos non consolari. E' dilectione plenitudo legis infertur. Magis, quàm Sacrificijs, prodest proximorum dilectioni vacare. Ad bonum, quod cupimus, propinquos inuitare tenemur. Qui sua tantummodò quęrunt, participes Christi non sunt. Infidelitatem sapit, paruulis fame languentibus panem non frangere, optantibus diem salutis aspicere, Auroram non pręmonstrare. Infidelitatis crimen est omni crimine fœdius. Telluri nil potest turpius euenire, quàm fructus negando, inprobrum sterilitatis incurrere. Iniucundum

argui-

arguitur cęlum, si sterilescere viderit campos et, cùm serenat, nõ rorat. Quid gratius Deo, quàm dilectionis accessio? Quid diabolo carius, quàm extinctio charitatis?

Benefaciendum est iustis, et omnibus.

Petenti dandum est omni, sed maximè domesticis fidei. Eleemosynarum effusionẽ ira non vetet, odium non excludat. Eleemosynis redimũtur errata, sed Pauperes spiritu, qui beatitatem adepti sunt, de mammona iniquitatis amicos adornant. Qui benefecerit iusto, et super pauperem iustum intelligit, in die mala à Domino liberabitur. Vbi ad pauperem manus extenditur, Christus adest in corde. Putemus Christum vestire, quando nudum vestimus: Christo dapes parare, quando cibamus esurientem: pergere ad Christũ, quãdo visitamus ęgrotũ. Ita melior dantis, quam accipientis est sors. Possidet fides, quodcumq. dedit. Quod est perpetuò permansurum in cęlo, disperdit in terris. Largitur modicum, et recipit centuplum. Erogat, quę diù seruari non possunt, et quę gloriam tradunt ęternitatis, assequitur. Maximi fœnoris capax est eleemosyna. culparum crimina diluit, et candorem iustitię introducit in animum. Cęli reserat fores, et gratiarum depopulatur ęrarium. Beati parietes, è quibus egeni nunquã ęgressi sunt vacui.

Nec

Nec mori, nec naturę fidelis indulget.

NEc viuit ad morem, nec ad naturam, qui viuit ad fidem. Agnoscit in moribus hominum mendacium sine honore, et sęculo non conformatus, innouari spiritu gaudet. Naturam aduertit rebellantem affectibus, et Christi baiulans crucem, mundi non sequitur instituta. Ab vsibus diffidet aliorum, et carnis non acquiescit illecebris. Studet ęternitati, et quę tempori subiacent, despicit. Vim illam naturę deridet humano ingenio nequiter consulentem: nec sensibus percipit prauę consuetudinis impetum. Naue, vel magna, vel parua fertur vnus, et idem: cœlo, seù tristi, seù lęto, ęuum agit imperturbabile. A'frigoribus niuis non metuit, et Syrij non sentit ardores. Æstubus concalet summi boni. Sua parum interest, vtrum floreant prata, an floribus arbores reuirescant. Contentus est floribus honoris, et honestatis. Neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis ponit spem, satis Angelico nutritus pane. Nulla rerũ expectatione bonarum, aut superbit, aut intumescit. Nullam ante oculos statuit vanitatem, et aspirat ad montes sanctos. Pedem non mouet incautè, et illaqueari non formidat inuitus.]

Spectat ad Deum iustificatio.

IVstificat Deus, quos vocat, eorumque nomina scribit in cęlis. Nullus electus, quin sit

sit dilectus. Erit illicò sanctus, quemcunque elegerit Dominus. Pręuenit Dominus miseratione, quem diligit. Ipse prospicit, vt nuptiarum vestitu non careant inuitati. Pertinet ad vocantem ignominias tegere uocatorum. Proprium Solis est, expellere tenebras, cùm radios lucis impertit. Pluries vasa irę facta sunt vasa misericordię, et quicquid erat perditionis, adoleuit in gloriam. In voluntate Dei residet vita. Quod uesperi fletum, commouet mane lętitiam. Mutatio dexterę, Excelsi est. Absque Domino nemo induitur mutatorijs, et fortitudo speratur incassum. Pennę ad uolandum non assumuntur, et unusquisque deficit in labore. Stultus, et insipiens est, qui apud Deum iustificare se velit. Non prouenit ex operibus gratia, sed ex pietate vocantis. Virtus Dei est, in salutem omni credenti. Quantumuis quis sibi nihil conscius sit, profectò iustificatus non est. Immundi facti sunt omnes, omnisque iustitia pannum redolet menstruatę. Vnicuique Deus est causa standi, et vnicuique Deus merita confert gratuita. In singulis iustè punit, quę clementer non diluit. Indignos inuenit omnes, et ex ipsis facit dignos, quos vult. Dignum iustificatione nanciscitur neminem, sed gratuita bonitate indignum vnũquemque iustificat. Quis conuertetur ad Dominum, nisi Dominus cõuerteret illum? Cuinam dies renouarentur, vt antea, nisi Dominus renouauerit dies? Deo custodiente custodit homo cor suum: pecuniã acceptam multiplicat, et hęreditatis adipiscitur

tur pignus. Timent pelagi fluctus Apostoli, si Deus dormit. In abusum beneficia transeunt, et charitas refrigescit. Sufficientia hominum nulla est. Incertę sunt in hominibus prouidētię, et cogitationes plenę timoris.

Hostes animę sensus sunt.

MAgnę virtutis est corde respuere, quod sensibus possidetur. Pacisci quis potest cum oculis, ne quidem de Virgine cogitet? Cui leue est aures sepire spinis, ne verbum audiat nequam? Difficile est inter carnis illecebras bonitatem odoris olere Christi? Quando saturitati non est iuncta lasciuia? Semper è tactu picis prouenit turpitudo. Gaudet anima luce, quę non agnoscit occasum. Radix immortalitatis est illam amare lucem, qua cœli sidera minora coruscant, illud concipere in pectore verbum, quod sapit Deum. Beatitatis indicium est, non alio, quā sacramentorum odore trahi, et gratia spiritū stabilire, non escis; tangique dolore, qui cōmutatur in gaudium. Hostes animę sensus sunt, et pacem habere cum animā nequeunt. In Sanctorum splendoribus esse non curant, et corruptibilibus mundi inhęrentes parum, aut nihil ad veritatem incumbunt. Gloriosum nō quęrunt, et à turpi non abstinent. Nolūt pręsenti carere dulcedine, et futurę calamitatis, quę finis est expers, sempiternos offendunt ardores.

Quod

Quod Deo placet, homini placere debet.

HOmini placere duntaxat debet, quod placet Deo, sine quo mẽs hominis bona non est, sine cuius arbitrio optimum nihil elucet. Opera iustitię, et molimina charitatis accepta sunt Deo. Fauet Deus currenti semitas mandatorum, legemque in dilectione custodienti. Iniquis aduersatur, et impijs. Obsistit vanitatibus hominum. Ludos, spectacula, pompas, theatra non probat. Voluntas Dei, est hominis sanctitudo. Hominem floribus fultum, malisque stipatum, et amore languẽtem diligit Deus. Odit iacentem in sordibus, torpore correptum, tepidum, mollem. Qua ratione placebunt Deo, qui in carne sunt, et magnum relinquunt pro minimo? Qui morẽ gerentes hominibus in peiora labuntur, et progressum ad meliora non faciunt. Christo non seruiunt, qui placere student hominibus. Ossa eorum, qui placent hominibus, dissipantur. Felix hominis anima, quę per vicos, et per plateas Christum quęrit officiosa, quem amat, et nisi lilijs, pasci non vult; quę Dei locutionibus liquefit, et sub eius umbra sedere desiderat.

Fidelis est uigil, non qui dormit.

IN fide non stat, qui non vigilat. Quonam consilio pręstolabitur sponsum, qui dor-

 mit?

mit? Fremit peccatum in lectis eburneis. Sõno sepultus fiduciam habet in carne, et lampadem non seruat accensam. Orationi non instat, et tentationi succumbit. Furem non videt, et latrare non potest. Crudelissimus ille tenebrarum pater vincitur vigilando. Non inuenit sapientiam, qui vigilias mane non agit; et non expergiscitur, qui seipsum seruare non uult. Indulget segniter somno, qui à cogitationibus peregrinis abreptus, à ratione spectatur auulsus. Inertiç partus est somnus. ministrat illusiones, formidines, et ambages. Mendacijs vtitur futuri pessimus author. Spõdet quietem, et adimit gloriam. Non aliter, quàm corpus, animum iacere cogit. Quos dabit thesauros somnus, si opprimit somnolétos egestas? A' quo sensus ligantur omnes, nõ expectatur libertas. Manet vigilantes beatitas, et corona promittitur vigilantibus. Ab Euangelio discitur, chorum Virginum, quç dormierant, non habuisse locum in nuptijs, et agricolam somno correptum lolij copiam collegisse, non tritici.

Malo non subiacent Vigiles.

FIdes cùm vigilat, non timet quid agat caro. Munitam fide molimina carnis nõ exagitant animam. Vigilans imperat anima sensibus, et tunicam illam, quam nocte exuit semel, non induit amplius. Sequuntur somnia vanitates. Odor Christi non patitur vigilantem scelerum perturbari veneno. Cuncta

vigi-

vigilis membra redolent crucem, et somniorum illecebras non admittunt. Viriliter operantur, et benedictionis gloriam assequuntur. Nisi dormiant homines, inimicus non venit. Malo non subiacent vigiles. Occupat dormientes aduersitas. Cognatus inertię somnus introducit vitiorum insidias, animosque infringit ignauia. Glorię cogitationes expellit, et fortitudinis inhibet documenta. Nulla è somno oritur ratio disciplinę. E' somni stupiditate virtutum incrementa non prodeunt. Comparantur mortuis somnolenti, qui tanquam cadauera excitant visu terrorem, et euomunt undique fœditatem. Prouenit egestas e somno, et nulla re dignus est dormiens. Quid unquam agere poterit, quem tenet uniuersorum obliuio? Mortis frater est somnus. Malè uitat sororis fraudes, qui fratris familiaritatem non cauet.

Obedientiam meditatur mens iusti.

QVi sua spontè per totam noctem laborat, vna hora cum Christo vigilare non potest. Qui nulla coactus ui diuersa montium iuga conscendit, vnum cum Christo Caluarię montem ascendere nequit. Multum interest, vtrum quis suum, an alienum sequatur arbitrium. Pendet ab alterius nutu, qui abnegauerit semetipsum. Nihil lucratur, qui sui ipsius indulget imperio. Pellis pro pelle libenter datur propria voluntas difficulter re-

fellitur. Obedientiam meditatur mens iusti, et quotidiè moritur in seipso, vt renascatur in Christo. Deponit hominem veterem, et cunctis horis paratum cor exhibet Deo. Totus se subdit ditioni mandantis, nec cupit vel quare, vel quale. Non procrastinat, non cunctatur: moras pręcipitat omnes. Omni tempore ad legem aures inclinat, et gratiam exigit ab obsequio. Ponit thesaurum suum in pręceptis Altissimi, et semetipsum non solum, sed et domum, et patriam obliuiscitur. Infirmitatibus subijci gloriatur, et nulla uitat pro nomine Christi discrimina vitę. Erubescit sine cruce traducere vitam, et uitam, nisi viuat in Christo, contemnit, et despicit.

Gaudet deprimi fides, et nihil habere se iactat.

ADmittit fides, quod hominum non patitur ratio, et quicquid apud homines sonat irrisionem, in schola fidei tribuitur dignitati. Decus est, contumelijs affici: gloria est, opprobrijs subijci. In iacturis agnoscitur lucrum: percipitur emolumentum in damnis. Fauor est, reportare ex amore contemptum: splendor est, pro offensa rependere beneficiũ. Idem opprimi, est subleuari: Idem uinci, est assequi palmam. Gaudet deprimi in temporalibus Christiana religio, et nihil habere se iactat in terris. Olet semper, vt rosa, et spinis cingi non dedignatur. Abundat semper, vt triticum, et in area teri cum paleis non

hor-

horrescit. Æstimat dulce, quod est amarum: putat requiem, quod affligit. Animas in patientia possidet, et repromissiones expectat. Si fortè infirmatur, occasionem salutis in infirmitate nanciscitur. Si ęrumnis opprimitur multis, sperat tandem Abrahę sinum. Instar siderum, quę, cùm incedunt, mundi non congruunt motui, aduersus opinionem omnium fides progreditur viam. A' via fidei alienę sunt mundi vię. Illarum finis est dedecus, et confusio: istius destinat meta exaltationem, et gloriam.

E dulcedine fructuum pendet arboris laus.

COgnoscitur arbor ex fructibus. Quę fructus non profert, et inutiliter terram occupat, digna est, vel ferro, vel igne. In vnoquoque nil quęritur, nisi, quod suum est, et procedit ex se. Vbi alia non datur probatio, vice probationis sunt fructus. Germinat terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Nihil interest, vtrum in ualle, an in monte virescat: vtrum in horto prope decursus aquarum, an in deserto frondescat. E' dulcedine fructuum pendet arboris laus. Illa laudatur arbor, cuius altitudo contrectat coelum, cuius rami sunt pulchri, cuius fructus est nimius. Illa benedicitur arbor, cuius benedictus est fructus, sub cuius ramis delitent ornamenta uirtutum, cuius altitudo sapientiam meditatur ęternam. Fructus tui uen-

tris, Gloriosissima Virgo, beatam te fecit. Terrena dici non debes, si fructum edidisti cęlestem. Antequam terra fieret, radicis tuę incorruptę fragrauit odor. Adhuc Sol in mūdo non radiabat, et eras amicta Sole. Afflas ex omni parte iucunditatem, et lucem pulchritudinis tuę omnis plebs colit. Sub umbra foliorum tuorum tota sedet in tranquillitate christiana Respublica. Gaudes similitudine platani, si tuę protectionis neminem excludis ab vmbra. Venustate gloriaris oliuę, si tui fructus suauitate satias uniuersos.

Nulla est discordia sensuum, ubi integra candicat in animo fides.

QVando integra in animo candicat fides, arcana morum opinioni consentiunt. Ab operibus non discrepat mens, vernat in ore simplicitas, flammescit in oculis pudor, toto gratia serenat in vultu. Eadem probitatis consuetudo seruatur foris, ac intus. Satis amplum uirtuti theatrum creditur conscientia, dum ipsa sibi stipendium virtus est, et ōnium actuum, cunctarumque cogitationum testis existit Deus. Vbique, et semper idem habetur ordo vitę, et nisi melioris ad optimum, veritas non distinguitur. Vniuersos gubernat armonica ratio sensus, nec patitur unquam dissimiles agitari dissidio. Tendit ad perfectionem quicunque sensuum motus, et vndequaque proficiscitur sanctitas. Immemor fidei, memor salutis ęternę non est. Nouissimorum

morum

morum oblitus, obliuione ſpem conterit omnem. In vitiis proficit, in uirtutibus deficit. Aut progreditur ad abyſſum, aut feſtinat ad mortem. Obliterat memoriam crucis, quæ Numinis gratia comparatur. Deſinit Chriſti veſtigia ſequi, in quibus ęquitas repetitur. Repromiſſionum fiduciam negligit, et de retributionum expectatione diffidit. Bonorum poſſeſſione non permanentium ſpernit cęleſtē theſaurum perpetuò duraturum. Torpet a diſciplinę ſtudijs feriatus, et regnum cœlorum obnoxium violentijs clepere non perdiſcit. Plurimum valet in religione conatus. Acquiritur impetu virtus, et feſtinantes comedunt Agnum.

Homo ad mundi delicias natus non eſt.

MAlè viuit in terris, qui in gloriam Dei non viuit. Nemo eſt ad mundi delicias natus. Hominum ſenſus non explent humanę res. Inter vniuerſas terrarum plagas ſemper inquietum eſt hominum cor. Quis nō cernit ad ſuperum ſedes cœli ſidera allicere quemquam? Pręparata eſt vnicuique cœlorū manſio. Singulis datum eſt os, ut dominicas annuntient laudes, et parturient ſapientiam: Cunctis aperti ſunt oculi, vt uideant ęquitatem, et obruant lachrymis turpitudinem criminum. Erigendę ab vnoquoque ſunt aures, vt Domini mandata percipiant, et cantus audire deſiderent Angelorum. Nullus, niſi ſacra-

cra-

cramentorum captandus eſt naribus odor. Ad actus pietatis attendendę ſunt manus. Ad cõprehenſionẽ brauij feſtinandi ſunt pedes. Amat Deus duntaxat in homine, quod ſpiritũ ſapit: odit, quod carnem olet. Vbi ſpiritus, ibi libertas: vbi caro, ibi ſeruitus, et corruptio. Spiritus ſęculo non contentus, Dei profunda ſcrutatur: terrarum finibus non concluſus, aſpirat ad montes ſanctos. Graditur ſuper alas ventorum, et poteſtates effugat tenebrarum. Ornatur floribus honeſtatis, et ęſtuat charitatis incendio.

Meliora fidei intrinſecus latere debent.

OPera fidei meliora non indigent arbitris. Quid agat dextera, ignotum debet eſſe ſiniſtrę. Triumphis animę non opus eſt tuba. Verę glorię facta commendatorem non quęrunt externum: Suam ipſa teſtantur gratiam, cùm videntur. Nequit habere iuſtitia teſtes. Mentiri quandoque poteſt quicquid adhibet teſtimonium. Cultus iuſtitię ſilentiũ eſt. Maxima iaciuntur ſub ſilentio fundamenta virtutum. A' facie Domini conticet omnis caro. Gaudet Columba foraminibus petrę, cauerna macerię. Erumpunt fontes aquarum è petra: pateſcunt ſub cauerna macerię diuinitatis oracula. O' quàm bonum eſt ſacramentũ Regis abſcondere! Arcana Dei violare, ſacrilegium eſt. Crimen eſt, eloquia Domini non abſcondere in corde. Videt in abſcondito

Deus

Deus. Thesauri in agro latentis similitudinē accipit cœlum. Cęlo cęlata placent. De occultis sapientia trahitur. Quęnam ira tam feruens est, quę munere non extinguatur absconditos? Non solum ancilia, sed etiam lapides sub muro reconditi futurum pollicentur imperium.

Fidem palam oportet confiteri.

PAlam fidem non confiteri, abscondere est in corde iustitiam Dei. In abscondito ponit lucernam, qui sua prohibet labia, ne veritatis promulgent oracula. Non sunt tradenda silentio, quę toti annuntianda sunt Orbi terrarum: nec priuanda sunt verbis, quę publicanda sunt sanguine. Obmutescat in nuptijs, qui vestem nuptialem non habet. Fidelis, proter quod credidit, sine iniuria fidei tacere non potest. Vilem indicat militem gladius in vagina reconditus. Parum distat à nocte dies, qui luce Solis non gloriatur. Obuiā procedit audacię fides, innocentię scuto dumtaxat ornata aduersis non cedit, et superborū minas non metuit. Perorat facundia, quam nō didicit. Manifestat occulta mysteriorum, quę mens humana non attigit. Interius calet, et flammas iaculatur exterius. Torpescere nescit, et operosa thesaurum non abscondit in terra. Fortior, quàm in rubusto, corpore viget infirmo. Spiritu gaudet, non carne. Tuetur iustitiam, et virtutum ornamenta custodit.

Alie-

Alienam pro sua dolet iniquitatem, nec quidem sua, sed aliorum imbecillitate languescit. Censet pro nihilo, quę sunt Mundi; plurimi facit, quę futuri sunt sęculi.

Iam iudicatus est, qui non credit.

OMnis sine fide vacuus hominis labor est. Coercere flagellis, et ad seruitutē redigere corpus, nil iuuat: vendere cuncta, que possidentur, et in cibos pauperum distribuere, nō conducit. Frustrà cum fletu miscetur potus, et comeditur cibus, vt panis. Nequicquam cęlum precibus fatigatur, et Templi habitantur arcana. Fundamentū iustitię fides est, prorsus excludens falsum, quia perficit intellectum: omninò tendens ad bonum, quia sensibus non grauatur. Qui non crediderit prius, non accedat ad Deum. Quid vnquam intelliget, qui non crediderit? Minus est panem perdidisse, quàm fidem, si salus omnis in fide est. Iam iudicatus est, qui non credit. A' contumace non differt incredulus. Fidei vias non ambulat; infideliter agit, et ab electis excluditur. Ramo, qui discrepat à radice, nullus promittitur fructus. Nemini, nisi fideli, patet terra promissionis. Propter incredulitatem non introitur in requiem. In stagno ardenti, igne, et sulphure incredulorum pars est. Quicumque corde viuit incredulo, deuorantis ignis pabulum est, diabolum sibi ascifcit in patrem, Babylonem in matrem. Verbo con-

confitendum est Verbum. Confessio semper opus est fidei: dilectionem pręmonstrat, et laudis, et pœnitentię promulgat affectus. Exprimit, quod corde conceptum est, et salutis adipiscitur argumenta. Parum, aut nihil est, habere Christum in corde, si Christum non sonat os. Officium cordis, et linguę exigit fides. pronunciandum est ore, quod corde gestatur. Ostium cordis est os.

Indigent actus fidei tentationum experimentis.

INfirmus accedit ad Dominum, qui animã suam ad tentationem non pręparat. Qui acceptus est Deo, necesse est, vt tentatione probetur. Putrescit sine certamine virtus. Indigent actus virtutis tentationum experimentis. Laqueum adornat in tentatione diabolus, sed fortis in fide deprecatur, et vigilat. Tunc concipit probationem tentatio, et beatitudinem parit. Benè scit Dominus de tentationibus eripere pios. Tẽtatus est Abraham, et benedictionũ vbertate probatus, cum cęli stellis hęredes, et cum maris arena dignitatum enumerauit insignia. Stimulo carnis impulsus est Paulus, et diuina repletus gratia renunciatus est doctor gentium, et coronatus est corona iustitię. Nisi tentationum extiterit victor, se filium Dei iactare quis posset: Probat vasa figuli fornax: aurum fit in igne splendidius. Humani generis inimica tentatio est, sed nũquam proficit, nisi cùm deficit fides. Vbi succin-

cinctos reperit lumbos, et lucernas in manibus agnoscit accensas, decertare non audet. Scuto duntaxat fidei aduersariorum refelluntur insidię. In abscondito tempestatis non infringitur innocentia: Ad aquas contradictionis confirmatur integritas.

Sapiens Euangelij nunquam à turbatur.

NOn cadit in Euangelij sapientem turbatio. Sapiens Euangelij locum non relinquit iniurię. Virtutum dignitate contentus fortunę adiumento non indiget. Semper nititur solido, nec augeri, nec minui potest. Eius pectus nulla pulsat cupiditas: nullo furoris ignescit impetu. Non timet, non audet, morsus non sentit inuidię, gaudij non decipitur abundantia. A' proposito non declinat, nec amore, nec odio. Ita domi se gerit, ac foris: ęquè lucet in tenebris, ac in sudo. Omni tempore vultum lenitate componit, cunctisq. in actibus ingenuitatem ostentat. Sine cultu, sine apparatu clarescit, et fulget. Inter tumultus scit pace frui: inter malignantium ausus securitate non caret. Sustinet, abstinet, et cùm infirmatur, est fortior: et cùm inhonoratur, est dignior. Nihil cogitat, quod non exigat sanctitas: Nihil loquitur, quod non pręcipiat veritas. Sanctus sanctificari vult adhuc, et integrum spiritum, incolumem animam, sine macula corpus ad Christi custodit aduentũ. Appetit lucis filius fieri, Spiritus sancti locuple-

cari

tari muneribus, et iustitię stola triumphali circumdari.

Suo iure contentus fidelis alienum non concupiscit.

BIbit putei sui fluenta fidelis, et aliorum aquas non sitit. Iure suo contentus alienum non concupiscit. Ne iustitię formam exuat, cupiditatem induit nullam. Si pauper est, impatiens paupertatis non est. Si diuitiarum affluit vbertate, cor diuitijs non apponit. Sui ipsius est conscius, et modum in actibus excedere nescit. Tolerat sine querela militiam vitę, nec tantulum de religione deflectit. Oculos coercet, et silet: affectus moderatur, et sperat. Existimat satis, superque quod habet in terris. Incrementum exoptat meritorũ pro cęlo. Cęlorum placiturus Regi, animę pulchritudinem appetit, et varietate virtutum ornatur. Nihil admittit in intellectu, nisi specimẽ veritatis: memoriam occupat operum innocentia, extenditque dũtaxat ad fortia voluntatis arbitrium. Omnem laborem impendit, vt vento non circumferatur errorum, et stet. Vt Christo solum sit plenus, et terrenorũ vniuersorum efficiatur inanis. Manet in tuto, qui stat, et pignus hęreditatis pręfert in sinu. Regno fit aptus, qui plenitudine fruitur Christi, et minus habens inueniri non metuit.

Qui fidem non amat, non intelligit vltima Mundi.

Amens

AMens eſt, quicumque fidei non agnoſcitur amans. Vltimum non intelligit finē, et errabūdus inſanit. Corruptam in intellectu occulit rationem, et veritatis non meditatur obiectum. Malè componit, peſſimè diuidit. Rectum non cernit, prauum non percipit. Verba ad virtutes non conflat, et opera ad immortalitatem non ordinat. Fidem accipere, eſt voluntatis: acceptam tenere, neceſſitatis eſt. Quod eſt promiſſum, à cunctis implendū eſt, et ſemper tenendum, quod ſuſceptum eſt ſemel. Quis extremę dementię non attribuet mundi momentanea quęrere, et cęli ęterna reſpuere? Viles terrę campos Paradiſi delicijs anteferre? Purpuras Tyri coronis pręponere ſiderum? Amanda eſt fides à cunctis. Mandata amoris pręcepta ſunt fidei. Durum amanti nil eſt: difficilis cupienti nullus eſt labor. Non eſt leue nomen titulus ſanctitatis. Omnes, pręter inſanos, aut cęcos, allicit lumen glorię. Lumine glorię viuorum illa comprehenditur regio, vbi Angelorum naturę comparata mortalitas hominum, gemmis ſtellarum coronata fulgeſcit, et beata Numinis viſione perfruitur. Vbi in bonis eſt ſummum bonum, et temporum iniquitati nil ſubditur. In theſauris nō latent inſidię, tineę veſtes non rodunt, et ordinatione diuina immutabilis perſeuerat lętitię dies. Vbi tota cęleſtis aula feſtiuo reſonat cantu, et cunctos exhilarat gaudiorum inexhauſta ſatietas.

Oculi aperiuntur ad gustum, cum fauus diuini mellis attingitur.

VIdet Deum, qui dulcedinem Dei gustat. Fauum diuini mellis attingit, et oculi aperiuntur ad gustum. Suauitatis captat odorem, et iucunditatem mysteriorum agnoscit. Libat vnam Trinitatis substantiam, et maiestatis inseparabilis intuetur arcana. Trium personarum ęqualem veneratur potentiam, et lucem vnius Diuinitatis comprehendit ęternam. Charitatis igne calescit, et ascendit in altum. Puritate maiori ad summè purum fit proximus, et puritatis plus obtinet, quò plus lucis est particeps. Sentit, quę sursum sunt, et aspicit animo, quę sensum exuperant omnem. Sapit, quę spiritus sunt, et vitę duntaxat opera commentatur. Incipit exultare sub magno illo glorię pondere, et transire de monte myrrhę ad collem thuris. Incipit benedictionum decorari splendore, et gratiarum plenitudine frui. Infelix, et miser, cuius faucibus dulcia non sunt eloquia Domini, et retur Euangelia fabulas, Prophetarum oracula somnia! Nunquam intuebitur Domini faciem, nunquam dies videbit bonos. Incapax lucis, ignarus auxilij iugiter uitā ducet inglorius, et tandem regna mortis maledictus adibit.

Ambulans uiam Christi gloriatur nomine Christi.

NOn manet in Christo, qui sicut Christus ambulauit, non ambulat. Dedecet Christi nomine gloriari, quem Christi eloquia non delectant. Cum stabulo aula non congruit. A' commercio bouis, et asini discrepat corona seruorum. Vagitus prę frigore, rei familiaris inopia, in campos parętonios fuga, serui induere aspectum, deserti ieiunia tolerare, contumelijs affici, vapulare, conspui, crucifigi, delicias non sonant, sed pœnas. Quis miles audebit segniter ociari sub duce, qui dimicando sudat, et alget? Cernetur ne pes, aut manus pollere nitore gemmarum, quando appetitum omnibus sordet ignominijs caput? Inter voluptates, et commoda peccandi adolescit illecebra. Pauimenta vino cùm natant, odor sanctitatis non afflat. Elegans cùm fulget ex ęre supellex, humilitatis non candicat gratia. Venena pudoris sunt apparatus, et pompę. Purpurissum, et cerussa parant fomenta libidinum. Verba, quę procedunt ex ore mellita, docent impudicę mẽtis indicia.

Verè fidelis uiuere malè non potest.

MAlè viuere nequit, qui bene credit. Laxas concupiscentijs non tradit habenas, legumque fręno compescit sensus. Desinit maiestatis arcana scrutari, et lucem cõprehendit in tenebris. Omni custodia seruat thesaurum cordis. Decernit aures sepire spinis, ne verbum audiat nequam. Oculos lachrimis

mis occupat, ne per illos introeat mors. Doctrinę accommodat os, ne beatitudinis laudē perdat. Manum attollit ad fortia, ne torpeſcat. Odoratur vltima mundi, et ſpiritu magno meditatur ęternitatem. Putat ſe peregrinum in terris, et manſionis non admittit illecebram. In veſtitu non gloriatur, non ſuperbit cum ſceptro. Non luget, cùm vendit: non lętatur, cùm emit. Scit, et non tumet. Iuſtus eſt, et iuſtificari vult adhuc. Vnde, et quò tranſeat, non aduertit, ſed quà curſum terminet, elaborat. Nauem gubernat, ut feſtinet in portum. Inferiorum elementorum vniuerſa faſtidit. Sanctam flagrat ſolum ingredi ciuitatem, et gratiarum in nundinis intereſſe.

Qui Chriſti fidem non nouit, nil didicit in ſcripturis.

IGnorantia ſcripturarum ignorantia fidei eſt. Ille nil didicit in ſcripturis, qui Chriſti fidem non nouit. Gelu grauatur perfidię, qui Dei ſermonem non ſeruat ignitum. Æternitatis myſteria neſcit, qui tantorum operum non apprehendit arcana. Primęuę lucis ignarus aſpicit diem, ſed quod diei dies eructat, non intelligit verbum. Cęleſtium neſcius gratiarum, matutinum agnoſcit rorem, ſed cur è nubibus pluat iuſtus, haud percipit. Magnum quid glorię ſcala Iacob ſignificat. Documentum ſalutis tabernaculum Dauid portendit. Caſu Iordanis retrorſum non redit. Fortuitò non ambulat arca Dei. Replet

orbem terrarum Spiritus vitę, qui moratur in rotis. Ex Abrahę sacrificio non cõsummato cepit sperare libertatem humanitas. Spiritualis duntaxat homo cognoscit, quę non percipit animalis. Intelligit nasci in terris sub lege, qui antequam terra fieret, regnabat in cœlis: sisti sub iudice, qui iudex est õnium: vapulantem perfidorum flagellis, qui imperat Angelis: Vultum illum conspui, deturpari, cuius splendore vniuersitas rerum ornatur: inter raptores damnari, qui, cùm se ęquauerat Deo, non arbitratus est fecisse rapinam. Apud scripturarum ignaros, quando aperiuntur scripturę, cor ardens non est. Aperit Agnus librum signatum, et ab Agno clauis scientię datur. Ab agno reuelantur Prophetarum ęnigmata, legisque mysteria. Agnus est ianua veritatis, per quam si quis intrat, non decipitur.

Iustorum Dominus miseretur.

OCuli Domini super iustos. Imaginem suam Dominus agnoscit in iustis. Cernit in iustis rutilare iustitiam, flammescere charitatem. Imaginem Dei non habent, qui iustitia, et charitate non pollent. Vbi iustitia, ibi Christus: Vbi charitas, ibi Deus. Omnes virtutum species vnum iustitię nomen continet. Bonorum omnium radix est charitas, credit omnia charitas, et iustitia nunquam abest à gratia. Vtriusque amator est Dominus,

nus, vnius studio terram nouam, et nouum ignem introducit in mundum, alteriusque lãguens amore formam accipit serui, et vniuersę salutis operatur arcana. Iustorum Dominus miseretur. Volentes, et currentes non aspicit, si misericordia digni non sint. Oritur ab humilitate misericordia. Expers miserationis est supercilium. Non sedat iram superba locutio. Excitat odium imperiosus incessus: sed aspersum cineribus caput diuinam inhibet ultionem. Errorum contrita confessio speratam prouocat indulgentiam, et acquisitę humilis abnegatio fastigium occupat glorię. Grandis latet in humilitate potestas! Quando deflectit ad minus, effertur in maius. Quãdo bonorum est inops, gratiarum fit capax. Quãdo habere vult nihil, assequitur totum. Iacẽs imperat elementis, infirma non subditur fatis, infertque imbecillis vim cœlo. Humilitatis amore semper capitur Dominus, et ima commutat summis: insignem attenuat, et promit obscura.

Fidei cultor Deo semper est præsens.

DEo semper est pręsens, qui per fidei semitas ambulat. Peregrinatur à sęculo, sed à Deo nunquam est procul. Exultans à sensibus exulat, et apertos aspicit cœlos. Congressiones hominum vitat, sed Angelorũ conuersatione non caret. Gestãs benedictionem Domini super caput, à desiderio non

fraudatur. Habens in corde legem, non declinat à via iusta. Constanter persistit ueritatis in via, et circuitus non formidat cõfusionis. Perficit cursum, et brauium, quod est insigne victorię comprehendit. Valdè percipit Deum non deserere tribulatos, et ab humilitate prodire bonum. Efficienter agnoscit è tribulationibus fieri transitum ad coronas, et ignaui frontem non coronari. A'Deo elõgatur ignauus, qui in stadio fidei pugil non est, palmas non cupit, et iniquitatum in medio iacet victus. Inter viuos ambulat tanquã mortuus, et ad desperationem formidine properat. Christianorum ignauia pestis est, conscientię cœlum corrumpit, et immortalitatis radices amputat omnes.

Non est exul à Deo, qui à corpore exulat.

EXul à corpore, non est exul à Deo. Gloriam captat è conscientię testimonio, et mundi corruptibilia negligit. Magnum sentit uacando culpa leuamen. Euestigio commercium init cum Angelis, qui viuit seiunctus à sensibus. Ambulat spiritu, et desideria carnis non perficit. carnis non formidantur insidię, vbi carnis pręcepta non vigent. Statim cortina recluditur cœli, quando per oculorum fenestras mors non intrat ad cor. Illicò spherarum concentus auditur, quando aures, ne verbum audiant nequam, septę sunt spinis. O cuius suauitatis emittitur odor, si

Dei

Dei spiritus sedet in naribus! Affert nausea mundi dulcedinem Paradisi, et manus attolluntur ad fortia, quoties semouentur à sordibus. Sordes retardant volatum ad astra. Columbę pennas quis induet, cùm uersatur in immunditijs terrę? Nisi quis liberetur de corpore mortis ad Domini charitatem non transit. Vale dicendum est corpori, cupientibus esse cum Christo. Regnum Christi non est esca, nec potus. Illud subitò quisquis reperit intra se, quotiescunque illecebras corporis amandat à se.

Qui parcit animę, nulli parcit.

NVlli parcit, qui soli uult animę parcere. Catenis corripit corpus, illudque tradit obnoxium seruituti. Noctu stratum lachrymis rigat, et in matutinis ab animaduersione non uacat. Oculos auertit, ne videat uanitatem. Spinis circumdat aures, ne verbum audiat nequam. Cautè circumdat os, ne verbo labatur. Nisi ad opera pœnitentię, manus non admouet. Nihil voluit in animo, pręter culpas. Aduertit neminem mundum à sorde, quantumuis vnius diei sit infans. Percipit astra cœli in cõspectu Domini pura nõ radiare, et etiam reperiri inter Angelos prauitatẽ. Intelligit uenturam iram vitari non posse, et pœnitentibus tantum patere iustitię viam; opportunum, et salutare annos elapsos amaritudinum velo contegere, mundique omnes

respuere illecebras. Agnoscit potius amara, quàm dulcia conuenire medicamentis, et clarè callet è pœnitentia semper prosiluisse misericordiam. Semper pœnitens extitit consors felicitatis Angelicæ, et quò vberius fleuit errores, eò splendidius coronam adeptus est gloriæ.

Virginitas Vitę Angelicę comparata.

VItam Angelorum imitatur immaculatā Angelis cognata Virginitas, agnoscens è gratia, quod illis concessum est à natura: suæ ipsius asciscens uirtuti, quod illorum ascriptum felicitati est. Terram non sapit, et carnis cupiditates haud sentit. Occupat sensus studio disciplinæ, et mores accommodat ad mansuetudinem pacis. Sanctis opinionibus imbuit caput, et pascit inter lilia corpus, attollitque animum inter Stellas. Floribus honestatis ornatur, ardentemque prægestat in manibus lampadem. Exultat in cantico, et sequitur Agnum quocunque ierit. Vbique lucet, et suauitatis undequaque diffundit odorem. Triumphat plenitudine luminum, et vexillum in fronte patefacit innocentiæ. Paradisi tranquillitatem usurpat, pristino restituit rationem imperio, et diminutam ueritatis redintegrat formam. O quàm aptè appellatur thesaurus humani pectoris, inclytum gratiæ pignus, ornamentum naturæ! Verè fons sanctitatis est, è cuius alueo gignitur margarita

pudo-

pudoris, cuius cursum intueri non audet infernus; in cuius undis incurrit libido naufragium, cuius aura subactus omninò confunditur mundus.

In Christo Veritas reperitur.

QVicquid est extra Christum, subiacet uanitati. Vanæ sunt opes, vana dignitatum insignia. Inanis est conuiuiorum applausus, spectaculorum lætitia mendax. Durabile mundus nil habet. Nulla vitæ felicitas ærūnarum, et calamitatum est expers. Infularum extinguitur splendor, deficit sceptrorum potestas, occidunt funditus ditiones, et regna. Gloriosius terræ decus fumo æquiparatur, et somnio. Quid inest firmitatis in fumo? Quid superest veritatis in somnio? Ille velociter surgens in turrim, aeris regno potitus, sedes audens occupare stellarum, fremit, ignescit, sed repentino ventorum impetu fractus euanescit extemplò. Illud imprudentibus blandiens, tempora repræsentans felicia, dominatum præbens in cunctis, honores largitur, et opes, palmas pollicetur, et plausus, sed uigilantibus perturbatum excubijs, vmbras amplectens decedit in nihilum. Solum in Christo ueritas reperitur, qui vitæ principium agnoscit in paleis, et uitæ finem celebrauit in clauis. Inter clauos, et paleas uitam inclusit humanam, et ideò melioris uitæ proposuit statum in cœlo, vbi dies non habent occasū, et æter-

et æterni sunt anni.

Laborat inopia, qui Christi particeps non est.

CVi Christus est portio, pręter Christum nil curat. Quod est commune cum sęculo, despicit, nullasque sibi Mundi delicias vēdicat. caducas non cupit opes, cui thesaurus infinitus est Christus. Fugaces contemmit honores, qué ęternitatis promissa trahunt. Christū indutus, quando se omnibus abdicat, omnia possidet. Qua parte carere potest, qui totū habet in Christo? Totum non sequitur partes, sed toti partes adhęrent. In toto resplendet Diuinitatis immensitas, et gratiarum agnoscitur plenitudo. Vana spe fallitur, qui cōmoda vitæ alibi, quàm in Christo, inuenire contendit. Omnium laborat inopia, qui particeps Christi nō est. Felix esse sine Christo quis potest, si nulla est sine Christo felicitas. Inscius tranquillitatis, et pacis, amentia quadā inexcusabili rapitur in errores, et cruciatus inferni huc intuetur, et illuc. Longè abest à luce, nullumque potest veritatis indagare splendorem. Iacet ærūnis, et amaritudine plenus, quando scit montes stillare dulcedinem, et latè è collibus fluere lac, et mel. Queritur fractam vbique nancisci fidem, quando patet lupos habitare cum agnis, et pardum accubare cum hædo;

Amo-

Amarus est Mundus, cui Christus est dulcis.

DIci potest in Mundo beatus, quem odit Mundus. Tutius est fœdera pacis inire duntaxat cum Christo, quàm toto coniurare cum Mundo. Infensa semper est Deo amicitia Mundi. Mundus, qui à spiritu veritatis abhorret, à Deo formatus, Deum non cognoscit. Ingratus, fallax, volubilis est. Promittit flores, et parturit spinas. Ostendit imaginem lucis, et in tenebras desinit. Felix, quem Christi vox allicit, et Christi militiam sequitur. Miles Christi non militat Mundo, sed Christum indutus crucifigitur Mundo. Amarus est Mundus, cui Christus est dulcis. Nil poscit à Mundo, cui largiter Christus adijcit omnia. Quotidie moritur crucis amore languescens, et temporis quocunque momento appellari se comprehendit ad pœnas. Gustat in cibo fel, in potu libat acetum. Inuenit clauos, cùm ambulat: circumdatur spinis, cùm stat. Gallum audit in nocte sua crimina modulantem, et columnę imaginem in somnis amplectitur. Intuetur in die prę suorum multitudine peccatorum nigra ferrugine obuolui Solem, et accipit exprobrationes à vento, qui transit.

Finita sunt bona Mundi.

QVicquid in terris est lucri, ex alieno incommodo prouenit. bellum exoptat in glo-

gloriam miles. Annonę defectus locupletat agricolam. Dies, quę fausta est vni, necesse est, vt mœsta sit alteri. Decrementum vnius est incrementum alterius. Finita sunt bona Mundi. Quod concessum est vni, ablatum est alteri. Quinam factus est ditior, quin pauperiores facti sint multi? Duę lineę rectitudinis eodem segmento non possunt frui. Ex sola Christi inclyta fide surgit illa multiplicitas gratiarum; qua, cùm cęteri implentur, nulli infertur inanitas; qua, singulis patet deliciarũ vbertas, et cuncti votorum plenitudinem assequuntur. Vocati omnes nominatum obtinent locum, et regnum, quod datur vni, non tollitur alteri. Omnibus principium felicitatum, et finis est vnus Deus. In vno Deo possidetur hęreditas illa cęlorum, quę nemini deficit, pro qua lites non pullulant, prę cuius possessione non adest riualitas.

Qui vult esse cum Christo, nil vult commune cum sęculo.

SIlentium, et vitam concupiscit ignobilē, qui vult esse cum Christo. Scit patientię ornatu fulgere silentium, et à iustitię testimonio non esse procul. Vitam ignobilem non carere quiete, et nullam horrere formidinem impietatis. Ex vtroque diuinorum vnguentorum odorem non ignorat afflari. Callet ęternum Verbum nunquam eloquio delectatum humano, pompas Mundi paruipendisse, et etiam quando cantibus plaudębatur angelicis,

pasto-

pastorum habitasse mapalia. Mundanas non appetit vanitates, qui plenus est Verbo, quo firmati sunt cęli. Gratissimum animę sumit è silentio nutrimentum, et inexhaustas agnoscit in taciturnitate delicias. Vniuersum meditatione percurrit, et à veritate non abest. Perorat, cùm silet, et eò plus micat, quò plus vilescit. Leuat se supra se, et carnis non est obnoxius desiderijs, liberque à carne nil vult commune cum sęculo. Studet cęlorum regno potiri votis, non vocibus, humilitate, non fastu. Taciti vultus honestas non inops est gratię, nec mediocriter olet flos protritus in triuijs. Aquę Siloe vadunt, et silent. Inter spinas lilia Libani candicant, et languescunt.

Quęrit Deus à debitoribus suis lachrymas, orationem, et ieiunia.

A' Debitoribus suis pecuniam non quęrit Deus, sed fidem. Vsura fidei affectus est, qui soluitur lachrymis, oratione, ieiunijs. Lachrymas habet, etiam qui lucem nō intuetur: Orare potest quisquis intellectu non caret: ieiuniorum solus est inops, qui vacare nescit ab epulis. Lachrymarum, orationis, ieiuniorum vectigal cunctis ī promptu est. Magnus thesaurus inuenitur in lachrymis. Pretiosę sunt lachrymę, quę ciuitatem Domini lętificant fluminis impetu, odorem continent vitę, saporē redolent gratię. Non egent indulgentię gustu, et suauitate reconciliationis abundant. Plurimùm pollet oratio, armatura fortium est

est. Scandit nubes, et appropinquans Altissimo vacua redire non potest. Flagrat instar incensi, ut peccatorum fœtorem absumat. Volat Columbę pennis, ut à spe quietis non decidat. Statim Numinis iram suspendit, et pręmiorum obtinet largitatem. Grauioris ponderis sunt ieiunia, si lachrymis materiam prębent, et fortiorem reddunt orationem. Fundamenta iaciunt castitatis, et culparum decernunt exitium. Supercilij fastum excludunt, et animos ad lenitatem accommodant. Humilibus fulgent actibus, et ęstuant charitatis ardore. His tribus tantummodò, lachrymis, oratione, et ieiunijs, magis quàm donis, holocaustis, et victimis satisfit Deus. Delent lachrymę chirographum debiti, vinculum omne persoluit oratio, et nullus superest ieiunijs nexus.

Diuitiarum cupiditas damnatur in Clericis.

DEdecet Clericos sub paupere Christo cumulare diuitias, quibus caruerant sub locuplete diabolo. Repellit à se Christi similitudinem, qui, Domino paupertatem amante, diuitiarum amator est. diuitijs affluens panem quotidianum orando fictè, et fallaciter poscit. Opulentia rerum exquiri non potest, à quo panis est postulandus in diem. Iactare cur debet Ecclesia diuites, qui mendici venerunt in Mundum? Spiritus post aurum non abit; fides est inimica Mammonę. Cupiditas tempo-

tali-

ralium desideria prohibet ęternorum. Heù fidem illam cernuntur amittere in Choro, quã hauserunt in cunis! Corporis quęritur luxus, et animę non inuestigatur ornatus. Deiectum est è ceruicibus iugum illud tam suaue, et tam dulce. Lauta est omnibus mensa, nemo indiget lacte ferarum, et corui non habent, ad quem portent annonam. O' quàm nefas est, eos, pręterquam in Ecclesia, vbicumque inuenire, et proprię domus supellectilem peraugere, non elegantiam Templi! Errant, vagantur, et huc rapiuntur, et illuc. Ambulant in magnis, et crucem amplecti nolunt. Caperatam contrahunt frontem, et promissorum obliuia potant.

Languet Fides inter risus, conuiuia, ludos, et spectacula.

RIsus, conuiuia, ludi, spectacula, fidei periturę principia sunt. Error reputatus est risus, quia leuitatis indicium est, et vox est confusa lętitię, quia comes lasciuię. Eloqui nescit stoliditatis interpres: Desinere solet in luctum maledictioni finitimus. A' conuiuijs ablegatur honestas. Qui seruiunt ventri, probitatem malè seruant in animo. Virtus cum voluptate non coit. Quę potest in intellectu componi tranquillitas, vbi epularum vapores tumultuantur in cerebro? Oculos ludi corrũpunt, et menti non parcunt. Vanitas prosilit è cœtu ludentiũ, ludentesque perpetuo cumulantur opprobrio. Nõ carent prauitate specta-

cula

cula, excitant ſenſus ad vitia, et deteriores pręſtant affectus. Admirationem effingunt in turpibus, et morum edocent corruptelam. Incipit languere fides ex his. Iuſtificationum ſemitę dediſcuntur, et obliuione recti refellitur veritas. Lugebunt tandem, qui rident; qui ſatiantur, eſurient. Ludent cum ardoribus ſempiternis, qui libidinum conſulunt ludis. Dęmonum ſpectaculis exhorreſcunt, qui theatrorum lętantur oblectamentis.

Spiritus, et literæ rara concordia eſt.

REperit ſpiritum, qui literam reſpuit. Nec permanet ſpiritus, in quo litera perſonat. Quicquid occidit iſta, uiuificat ille. Claudit iſta potentias Domini, quas ille recludit. Ille redemptionem, iſta contradictionem in aquis nanciſcitur. Spiritus, et literę rara concordia eſt. Quo ſpiritus abundat conſilio, litera caret. Qua ſpiritus ęſtuat charitate, litera non caleſcit. Doctrinam, quam litera neſcit, ſapientia ſpiritus aperit. Agnoſcit Spiritus illuminationem in nocte. Offendit litera caliginem in meridie. Stat in ſpiritu pignus vitæ: prodit è litera venenum mortis. Res viſibiles, quæ ſæpe fallunt, iſta deſcribit: Ille contemplatur inuiſibilia, quæ non decipiunt. Nullam habent vim literæ, niſi ſignatæ ſint annulo Regis: Eæ tantum probatæ ſunt literæ, quas quis non didicerit. Tutior eſt ſpiritus litera: Salubrius eſt contemplari, quàm

lege-

legere. Partem occupat optimam contemplatio: ad perfectionis gloriam sola non peruenit lectio. Identidem ista commouetur ad dubia: Illa nunquam semouetur à fide.

Probantur à Deo facta, non scripta.

VEntum labore quçrit, qui famç cupidus scribit. Enititur suam promulgare uirtutem, et virtuti non laborat, sed famç. Ingenio comparat vanitatem, et vanitate locupletatus nomen sperat è fama, quç fallax est. Necçssaria magis est vita, quàm fama. Iudicat vita de fide: fama beatos non facit. Sçpe à scriptis differunt facta, quando cor non concordat cum ore, et discrepant sensus ab intellectu. Iudex ille supremus hominum non approbat scripta, sed facta. Ad mercedem operarios vocat, et voluntatem metitur operibus. Qui fecerit, et docuerit, magnitudinis laudē in regno cœlorum assequitur. Frustra quçritur in paginis laus. Ventorum imperio subiacent paginç. Imprimit uera virtus gloriç characteres in firmamento Stellarum. Deficiunt doctrinarum opuscula sçculorum interitu. Nullam metuunt obliuionis iniuriam opera charitatis. Apud Deum optimum maximum, prçter chatitatem, nil ualet. Charitas ordini congruens, urgere nunquam potest ad lapsū, lucis semper appetit incrementum, et multiplicem quamlibet non formidat alluuionem aquarum.

Arcta est, et difficilis ad cœlum uia.

NOn est ad cœlum mollis è terris via. Plurimum distat à vijs hominum, et à preuaricatoribus non inquiritur. Illam non appetunt, qui recta non vident, et in vacuū ambulāt. Pulchra est, sed difficilis, et laboribus plena. Recta, sed arcta, et paucis patet. Multo sudore, multisque incommodis peruenitur ad gloriam. Principium glorię est testimonium conscientię. Nisi pura fulserit cōscientia, glorię non arripitur cursus. Nunquam ab operibus feriandum est, neque ad dexteram, neque ad sinistram est declinandū. Oculos ad astra non eleuat mens terrenis assueta delicijs. Æternos contemnit annos, qui voluptatibus carnis addictus, viuit ut mortuus. Sensuum obstrictus illecebris non aspirat ad animi libertatem. Oportet iugiter luctari cum carne, si vincenti duntaxat promittitur manna. Necesse est assiduè congredi cū Dracone, si dimicanti tantummodò corona seruatur. Ad iter cæleste cunctatione languentes non sunt idonei. Summoperè prodest impetus, si vim facienti conceditur regnum.

Humanę conuersationis impatiens est, qui diuinę factus est cognitor.

NEc aspiceret Christum, nec aspiceretur à Christo Zacheus, nisi sycomori in arbo-

arborem aſcendiſſet. Aſcendit, qui credit. Aſpicit, et aſpicitur, cui fides eſt cordi. Arbor ſycomori eſt fides, quę homini diminuto ſublimitatem adiungit, et fraudatorem pecunię commutat in gratię receptorem. In ſordibus terrę iacere nequit fidei ſuccenſus amore, et Chriſti conuerſatione fit dignus. Hominum conuerſationis ſtatim euadit impatiens, qui ſemel Diuinitatis factus eſt cognitor. Auaritię uincula rumpit, et arctiſſimo charitatis laqueo gaudet obſtringi. Suadet iuſtitiam pręſentia Chriſti. Pręſente Sole iuſtitię iniquitatum euaneſcit obſcuritas. Neceſſe eſt, vt luceſcat, ubi lux eſt. Illicò tenebrarum caterua fugit, quò lumen ueritatis accedit. Intuetur intellectus errores, et uoluntas confitetur erraſſe. Nil turpitudinis audet reſeruare memoria, et undique ſanctimonię diffundit odores. Humanum arbitrium, cùm longe eſt à Chriſto, ſemper tendit ad malum: charitatem non ordinat, et diligit, quę diligenda non ſunt. Exit de ſanctis, et loca inhabitat inuia, et inaquoſa. Omni credit ſpiritui, ęquè non ęſtimat res; legum violat iura, et vnum cum Chriſto non efficitur corpus.

Fidelior eſt lachryma gaudio.

NIſi ad puteum, nunquam nouiſſet Samaritana Meſſiam. Ad puteum lachrymarum ſemper Saluator eſt pręſto. Exhilaratur harum fluminis impetu ciuitas Domini. In

valle lachrymarum disponuntur ascensiones. Quando meteretur in exultatione, nisi sereretur in lachrymis? Succedit imbri serenitas. Flentibus tantum promissus est risus. Veritas mundi inuenitur in uino, ueritas Domini innotescit in lachrymis. Petra, quę Christus est, ad lachrymas emollescit. Fidelior est lachryma gaudio. Testes cordis sunt lachrymę, et latentium argumenta votorum. Amor, qui originem ducit ab igne, lachrymarum nutritur undis. Conscientię turpitudinem lachrymę lauant, et peccata baptizant. Habent suas (etiam si taceant) uoces, et potentiorem affatu efficiunt fletum. In proprijs malis nunquã arescunt, et quamuis non petant, assequuntur optata. State semper in lachrymis, qui Iesum agnoscere cupitis, et procul à Iesu abesse nõ vultis. Iesu pręsente sęculi mala non audent erumpere, immò sęculum ferri repentè fit aureum.

Peccatum cordis purgatur ore.

IN eo, quod non credidit Zacharias, peccauit, et statim silentio condemnatur. Errat cunctatione consilium, et lingua taciturnitate punitur. Peccatum cordis purgatur ore. Apud Deum, qui scrutator est cordium, cordis error à linguę delicto non differt. Apud Deum punitionis expers non est propositum in mente retentum. Hominis cogitationes interrogantur à Deo. Videt in abscondito Deus, et hominum arcana corripit etiam

in si-

in ſilentio. Non eſt leuis pœna ſilentium, quando infertur ob crimen. Idem eſt ſilere, et mœrere: comparatur obliuioni, et obliuio non diſtat à morte. Silet à bonis humiliatus, et vocis ſcientia vacuus, ab operibus animi vacat. Nulla eſt in muto doctrina, omnisque eruditionis mutus eſt inops. Aſcribitur imperio noctis ſilentium, et perduellionum, et fraudum miniſtra nox eſt. Agnouit fortaſſis ęrumnas ſilentij Dauid, cùm cecinit, Domine labia mea aperies, et Deus meus, ne ſileas à me. E' ſeniorum ſilentio exorta eſt prolapſio rectitudinis. Ablegata ſunt Iſacidùm gaudia, quando cytharę dulcedo conticuit. E' ſilentio erupit in Amyclas exitium.

Secura eſt in periculis fides.

TVta eſt in periculis fides. paruulos ſuos allidit ad petram: probat pullos ſuos ad radios Solis. Hoſtium tela non metuit: egeſtatis incommoda floccipendit. Famem non timet, quantumuis fames vbique graſſetur. Nullam horret perniciem, licet undique ſęuiat peſtilentia. Nullas mundi ſentit amaritudines. Ridet flagella, exultat in flammis, triumphat de morte. Septa pręſidio charitatis non indiget armis, et amica manſuetudinis ſapientię dono tumeſcere nequit. Fortior eſt, cùm cenſetur infirmior. Micat glorioſior, cùm exiſtimatur obſcurior. Perſpicit non aliter, quàm per pœnas adiri cęleſte regnum.

Rosas sperat è spinis, delicias prestolatur è clauis, honores expectat è cruce. Reperit in paupertate diuitias, ex ieiunijs libat ciborum varietatem, immensam glorię messem arguit ex ęrumnis. Impauida non expallet, quando cœlum fragoribus tonat. Stabilis permanet, quando terra tremoribus quatitur. Incolumis splendet, quando tenebris obuoluitur Vniuersus. Nescit cedere malis, nec uacillat, nec titubat. Vna cunctis resistit aduersis, et temporum omnium propulsat iniurias.

Polluitur christiani uocabulum sermonum inhonesta licentia.

OMne, quod non ędificat audientes, in detrimentum loquentium uertitur. Statim polluitur christiani vocabulum sermonũ inhonesta licentia. E' multiplicitate uerborũ irrepit in animum turpitudo. E' uerbis plurimis dimanat egestas. Obtrectationis comes loquacitas est, inutilis ciuitati, et argumentũ impudicitię. Vbi statera verbis non est, et fręnum recti non cohibet os, honestas non commoratur. Amica est taciturnitatis honestas, loquacitatis obscęnitas. Varietate uirtutum taciturnitas micat. Multitudine vitiorũ loquacitas sordet. Homines sępe locutos fuisse pœnituit, tacuisse piguit nunquam. Qui loquitur, confusione non caret; qui tacet, leuat se supra se. Vna est dissimilitudinis causa: Homines loqui docet homo, tacere Deus. Interpres obscurus sermonis silentium est.

Multum dicit, cùm silet. Interdum negat, interdum affirmat. Obsequij genus est, et nõ uacat ornatu. Custos consilij, magister prudentiæ. Amuletum quietis est, et non indiget gratia. Increpat, obsecrat: Gratum est domi, uenustum foris. Vbique præsefert quid egregium. Dubiorum est iudex, iniquitatum est vindex. Opportunum est inter lachrymas, nõ iniucundum est inter gaudia.

Non licet sapere plusquam sapere.

SApere plus æquo non licet. Plurimum confert sobrietas sapientiæ. Altiora queruntur incassum. Semper exitiale est, quod, vltra quàm satis est, petitur. Genus intemperantiæ est, sublimibus inhiare, et humilia penitus obliuisci. Sapientia, si charitati coniuncta non est, parturit uanitatem, et inflat: si futura non prouidet, stultitiæ comparatur, et fallit. Modesto uirtutum cultu, non superba uarietate sophismatum ornatur animus. Super pennas uentorum non est hominis ambulare. Discitur ab Icari casu campos cœli penetrare quid referat. E' promptuario gratiarum moderationis elicitur habitus. Iuxta mensuram fidei sapientiam Deus diuidit unicuique. Gaudet simplicitate Diuinitas. Occidit copia literarum, viuificat abundantia spiritus. Non emicat sapientia, ubi fides non lucet. Metitur sapientiam fides. A' fidei sublimitate exigitur rerum altissimarum agnitio, sine qua uia salutis non patet, et os non aperitur in porta,

Stultitia est sapientia mundi apud Deum. Paruipendenda sunt desideria sæculi. Sapiunt mortem quæcunque vitam non olent æternã. Sapientis est verbo non contradicere ueritatis, et legem custodire sub corde. Nulla timetur deceptio, quando à spiritu discitur disciplina.

Gaudet Ecclesia lactis, et ignis natura.

IN Ecclesiæ firmamento sidus, quod fixum non est, locum non habet. Vapor, qui ex agris, aut ex aquis excitatur à Sole, aeris regionem non superat, coruscat, et strepit, sed vel in tonitrum desinit, vel in fulmen. Pluuiam aliquando prænuntiat, et ventorum dissipat turbines. Terræ portionem non deserit, et nunquam ascendit æqualiter. Duplex natura ignis, et lactis occupat cœlum. Circulus lacteus splendidissimo candore inter flammas elucet. Quicquid non flammescit, vt ignis, aut non candescit, vt lac, non est in cœlo. Charitatem denotat ignis: Puritatem significat lac. Ille undique radios fundit lucis, et sursum attollit iter: hoc simplicitati conueniens, nescit vnquam à mansuetudine diuidi. Vtrumque postulat Deus, qui in igne, et fumo legem prolaturus apparuit, et ualdè gauisus est, vt aquam petenti, daretur lac. Qui de cœlo descendens, ignem misit in terras, et lac emunxit è collibus. Qui ministros suos nuncupat flammam ignis, et lotas lacte Columbas amat.

In-

Inconſtans non perſeuerat in fide.

INconſtantiæ crimen audit, qui perſeuerãs in fide non eſt. Aut ratione diſſentit, aut ueritati non conuenit. Inconſtans temeritate non caret, et inertiæ vitio ſubditur. Quis poteſt duabus ſedere ſellis, aut duobus ſeruire dominis? Credere verè non eſt, repetere propria, et Chriſtum relinquere. Quicquid poteſt deficere, ſtabile nunquam fuit. Quoties perſeuerantia tollitur, mercedem perdit obſequium, beneficium fit incapax gratiæ, fortitudo non conſequitur laudem. Fideli vſque ad mortem datur corona vitæ. Inſtabilium inanis eſt labor. In magna conſtantia ſtare, iuſtorum eſt. Perſeuerantibus uſque in finem promittitur ſalus. Qui conſiſtit in ſolido, ſẽper abundat copia gratiarum, et mercedem accipit plenam. Quiſquis, in qua uocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Mutationes rarò fiunt in melius. Sæpe è vinculis tranſitur in vincula: rarò de virtute in virtutem. Quæ delectant, non ſemper iuuant. Bibat quiſquis de fontibus ſuis, diſſipatas aliorum ciſternas non quærat. Stultorum eſt, vt Luna mutari. In Domino ſperare ſat eſt, et mutabitur fortitudo. Ita licet Aquilæ aſſumere pennas, et currere: altiora ſemper appetere, et nunquã deficere. Mutatio, quæ dexteræ Excelſi non eſt, iniquitatem non aufert, ſed auget. Gloriam mutat in ignominiam, et malæ mentis

por-

portendit affectus. Inconſtantiæ vitium eſt in diuerſa raptari. Vna veritas eſt, et vita ueritati conueniens, diuerſa non docet. Deſinunt animi motus, quoties cupiditates alliduntur ad petram.

Perfectum eſſe nolle, delinquere eſt.

IN imperfectis ſemper eſt timor de lapſu. Semper vitium aliquid imperfectionis inuenitur in imperfectis. Imperfectionis cognitione carent, et eximiæ charitatis ardore nõ ſplendent. Imperfectione contenti vberiora non appetunt, neſcientes fortaſſe, quod non progredi, eſt regredi, et non lucent. Perfectũ eſſe nolle, delinquere eſt. Veritas diminuta Deo placere nequit. Seruus Chriſti perfectus, præter Chriſtum habere nil vult. Dummodò placeat Chriſto, placere non curat hominibus. Peregrinum ſe miſerrimè putat, niſi bonorum operum ſibi viaticum præpararit. Æterna duntaxat in cœlo conſiderans, cuncta velociter ruitura intuetur in terris. Omnes manere ſepulchrum credit, et in modicũ cinerem corporis ſarcinam reuerſuram. Tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo, ex ipſa vita diſcedit. Permanens illum in terris nulla ciuitas tenet, et futuram inquirit. Inſtar aquæ cuncta mundi ſcit pertranſire, et quæcũque delectant, vmbræ, fumi, vel ſomnij referre ſimilitudinem. Lætatur ad nuncium mortis, ſi amictu mortalitatis exuitur, et glo-

riæ

riæ induitur vestimentis.

Status fidei nulla necessitatis uim recipit.

IN causa fidei locum non habet, nec caro, nec sanguis. Animam, quæ corruptioni nõ subiacet, respicit fides. Adhęreant corpori, quod est corruptibile, caro, et sanguis. Sicut enim anima longe differt à corpore, ita etiam caro, et sanguis cum fide non congruunt. Maiora sunt animi, quàm corporis opera: Præstantiora sunt fidei, quàm carnis, et sanguinis argumenta. Pugnat corpus aduersus animam: Caro, et sanguis contra fidem assurgũt. Labor idem est animæ, et fidei, et vtraque studiosa virtutum principia meditatur, et fines. Idem munus cum corpore caro, et sanguis exercent, et voluptati incumbentes præsenti, gloriam non percipiunt aduenturam. Status fidei nullam necessitatis vim recipit. Nulla est peccandi necessitas, quibus vna est necessitas non peccandi. Parentum, fratrum, et quorumcunque respuitur amor, si fidei derogatur obsequium. Improbatur quodcunque studium terræ, si cœli gratia diminuitur. Nisi Christo, præstanda nemini est obligatio; Præter quod cruci debetur, omne delendum est vinculum.

Vana est humilitas sine fide

Humi-

HVmilis sine fide, cùm descendit, pręcipitat. Omissa fidei humilitate, quęlibet virtutum accessio ruit. Honores non respuit laudabiliter, qui Christi sequax non est. Qui pauperem Christum non imitatur, sordida paupertate laborat. Frustra vestibus ostentat se lacerum, si sanctarum scientiarum varietate non se reddit indutum. Quid prodest humo cubare nuda, si animum fides non fouet? Quid refert inter ignominias abnegare seipsum, si sub signo Crucis non iacet? Magnus ascensus ad Deum est proprię infirmitatis agnitio. Quantò quis est sibimetipsi despectior, tantò est gloriosior apud Deum. Statim propinquus fit ei, qui supra se est, à semetipso deficiens. Humilis gloriatur in Cruce, discit iustificationes è clauis, et faustitatem expectat è spinis. Sęculi cupiditate non trahitur, vana quietis illecebra non allicitur. Non accedit ad crucifixum, nisi crucifixus, aut crucifigendus. Sudat, et alget, non ut à curis, et à laboribus uacet, sed ut amplius pro Christi gloria sudet, et algeat. Quęrit identidem deprimi, vt ab humilitate Christi non distet, et in hominum ignoratione uersari lętatur. Formam sustinet serui, quam Christus accepit. Ad instar Christi à fronte spirat obediętiam, qua morti non parcit. Gustat acetum, et à felle labra non amouet. Stellis cœli, et arenę maris comparati sunt filij Iacob. Qui lucet, ut stella, comparationem arenę non deserat. Ab arena percipitur vilitas, aduertitur numerus. Maxima laus est, de se nil sentire, et

copia

copia gratiarum affluere: prœmium poſcere nullum, et prœmia multa mereri.

Dominicę Paſſionis inſtrumenta, commutata ſunt in apparatum vanitatis.

ITa corrupti ſunt hominum mores, vt tota paſſio Chriſti cõmutata ſit in vanitatis deteſtabilẽ apparatum. Paleas ſtabuli abſumpſit ambitionis incendium. Conuerſus eſt calix mœroris in poculum voluptatis. Vincula, et funes abierunt in torques, et phaleras. Catena ſatellitum facta eſt corona ſeruorum. Accuſationes, et contumelię euaſerunt applauſus, et laudes. Arundinis ſonat inanitas plenitudinem cenſuum. Nuditas veſtium aulęa refert, et periſtromata. Nulla eſt memoria tormentorum. Tegit purpura ſanguinem, faſtu compenſantur opprobria. Floreſcit Caluarię mons, et ſpinas, et clauos non gignit, ſed roſas, et violas. Crux humilitatis inſigne, arrogantię eſt ornamentum. Olet licentiam actionum, quę diſciplinarum magiſtra eſt. E' columna non dediſcuntur errores: E' flagellis animaduerſio non apprehenditur ſenſuum. O' tempora nullis audita ſęculis! O' mores omni flagitiorum genere coronatos! Non eſt, qui ſagittę, quę Chriſtus eſt, ſentiat iacula charitatis. Quiſquis vitiorum vulneribus ſaucius ęternam ſitit damnationem. Deſpicitur myrrha, et quęruntur aromata.

In

In fumum dissoluitur omnis vanitas.

NIhil vendicat sibi homo, cùm interit. Gloria domus in sepulchro non rutilat, fastus pulchritudinis non descendit in cineres. A' literis feriatur ingenium. Auro, et argento non superbiunt manus. Vacat honore maiestas, et vestium ornamenta putrescunt. Inter cadauera hominũ nulla distinctio. Pauper non distat à diuite, nobilis ab ignobili, imperitus à sapiente. Omnia mors ęquat. Omnium rerum finis est mors. Vnus est omnibus ad vitam introitus, et vnus è vita contigit omnibus exitus. Reuertitur puluis in puluerem, et adest communitas vermium. In fumum dissoluitur omnis vanitas, cunctarumque actionum diuino spiritu non mandante gestarum memoria perit cum sonitu. Opera spiritus viua solummodò remanent, et plausu sempiterno promulgant vndique testimonia sanctitatis. Obsolescit quicquid Christum non sapit, et quicquid simul possidetur cum Christo, custodit ęternitas. Beati, qui in Domino moriuntur. Iudicium mortis non metuunt, et laborum, periculorumque mercedem assequuntur immortalem in morte.

Iustus dies omnes, quos agit, partitur cum morte.

In-

IVstus, qui viuit ex fide, prȩter sepulchrũ, in terra nil cupit. Dies omnes, quos agit, partitur cum morte. Vbique imaginem mortis agnoscit, et quocunque se vertit, ossa meditatur, et cineres. Discit occasum suum à Solis occasu, et apprehendit defectus suos in Lunȩ defectibus. Prouocatur ad tumulum, quando fluminum vndas intuetur in mare delabi. A'se procul non considerat urnam, quando terras patescere cernit hiatibus. Cogitat semper se spiritu desiturum, quando flantes ventos repétè quiescere conspicit. Cuncta euanescere, vel in vmbram, vel in fumum animaduertit, et transitura non appetit. Tanquā mortis horribilem regionem agnoscit Mundum, deserto ȩqualem, sterilem, infœcundum, vbi anceps est vita, et rerum vicissitudo firmitatem non habet. Vbi vacat flos nullus à spinis, et quȩlibet anni serenitas non est immunis à tenebris. Vbi assiduè perennis est dolor, et semper fugitiua sunt gaudia.

Qui dubitat, modicam habet fidem.

MOdicȩ fidei est dubitare. Fidē destruit dubitatio, quia distat dubitans à negāte, aut parum, aut nihil. Infidelitate incipit mergi, qui fidei pendulo super aquas incedit gradu. Nulla è dubijs oritur gratia, si semper prouenit è iactatione iactura. Intra se pugnat animus, cùm quid velit, exploratum non habet. Discors laborat, et sine rationis articulo

fluctu-

fluctuat huc, et illuc. Rapitur in diuersa, et quocumque se vertit, est anceps. Negat voluntas quicquid asserit intellectus. Opus cum cogitatione non conuenit. Languet consilium, latet electio. Nititur cunctationi deliberatio, et veritas odit moras. Nutat coniecturis opinio, et pręmunita est demonstratione sententia. Plusquam ciuilis est huius belli figura. Aduersus spiritum timoris dimicat spiritus fortitudinis. Vterque disceptat, vterque componit. Vterque distinguit, vterque secernit: sed dum non perinde sentit vnus, ac alter, neuter est testis, neuter est iudex, et interim suo spoliata pendet arbitrio mens.

Stultus à recto rebellat, et seditiosus immurmurat.

O Vasi rotę currus pręcordia fatui. Vnctionis oleo carent, et strident. E stultitia prouenit perduellio. Stultus sapientię nescius semper à recto rebellat, et seditiosus immurmurat. Prudentia vacat, et non indiget arrogantia. Oleum Euangelij non ostentat in capite, et tumultuosis percrepat vocibus. Nanciscitur in pręcepto laborem, et queritur. Desiderijs agitatur iniquis, et somniat. Circumspicit vniuersa, et approbat nihil. Cunctis versatur in malis, et irrisor est disciplinę. Laborat fastidio sui, quietē ignorat. Impotens nocere conatur. Insipiens de scientijs disserit. Stulto miserius nil dici potest. Loquacitate refertus errorem ruit in om-

nem,

nem, et nullo alleuamento scit vti, nulloque vult regi consilio. Fremit, furit, et genus in vniuersum insurgit. Festucam obseruat in oculis aliorum, et in oculis suis trabem non intuetur. Stultitiæ proprium est, aliorum vitia commentari, et non reminisci suorum: immodicis dare carbasa ventis, et fœdos duci impudenter ad exitus: abire in fabulam, et superesse despectui.

Bonis non est horrifica mors.

HOrrificam mortem fingit error hominũ, non naturæ. Natura õniũ mitissima parens nil fecit horrificum. Si terrori mors esset, quæ naturalis itineris terminus est, terrorem adhuc portus afferret, qui voluntariæ nauigationis est meta. Permanentem in Mundo patriam non habet homo, futuram inquirit in cęlo. Humani caloris interitus humana mors est, animam soluens è vinculis corporis: finis laborum, quietis initium. Omni ætati communis similitudinẽ mutuatur à somno. Gaudet incerto progredi gradu, et æternos largitur annos, quando adimit breues. Fortunæ munera destruit, sed dotes virtutum amplificat. Sapientem mors nõ deterret, immò nulli formidabilis est, nisi ei, qui nullum ad beatã vitam sibi præsidium comparauit. Mori nolle, infirmæ fiduciæ specimen est. In conspectu Domini sanctorum preciosa mors est, peccatorum solummodo pessima. Vita turpis ne

morti quidem honestæ locum relinquit.

Fides amplectitur mansuetos, non admittit superbos.

SVperbos non suscipit fides, mansuetos amplectitur. Infensa arrogantię, studiosa modestię, proprię excellentię despicit amatores, et blanditijs afficit mites corde. Mansuetis hęreditatem pręparat terrę, et multitudinem pacis largitur. Superbis portam salutis non reserat, et copiam non communicat gratiarum. Ignominia impletur facies superborum: mansueti appellantur ad gloriam. Anima superborum est deformior atramento, mansuetorum tranquillior oleo. Illi sermonis seueritatem à Dęmonibus mutuantur: isti ab Angelis verborum accipiunt comitatem. Immitissimus ab illorum supercilio prosilit horror: placidissima spirat ab istorum fronte dilectio. Agunt illi in inferno radices, et vitiorum propagantur accessione: isti crescunt in cœlo, et virtutum varietate collucent. Adhęrere Deo superbi non possunt. Lucis veritatē nequeunt intueri: rectas iustitię vias indignantur inire. Vitę immortalis odorari suauitatem molestè ferunt, et stomachantur. Minaces, feroces, præcipites ruunt in omne scelus. Regnandi libidine feruent, et originem è terra duxisse recordari non sustinent. Exaltantur mansueti in salutem, et è fide, et è lenitate ad sanctimoniam demigrant. Iniuriarum obliuiosi vincunt in bono malum. Quan-

do lęduntur, remittunt, et quando adest nocendi facultas, ignoſcunt.

Vanis credens, crudelis efficitur

E' Vani credulitate crudelitas gignitur. Credit ſe vas honoris, quando iniquitatis uas eſt. Alienum cruorem ſitit, vt fera: ſed ſubiectis parcere neſcit, vt Leo. Iactat auorũ miracula, et aliorum ſpecioſa contemnit. pręter ſuas laudes, nil quęrit audire. Gloriatur in eo, quod ſuum non eſt, et gaudet ſubniti mendacijs. Gratiam, quę confertur humilibus, temeritate preſumit. Spumat ex ore ſcelus, anhelat ex imo pectore cędem, et quando funditus ciuitates euertit, monumenta ſui ſplendoris extollere cogitat. Super aliorum perniciem ſuę dignitatis inſignia ſtatuit, et proprium experitur ex aliena calamitate profectum. Audet auro veſtire parietes, et pauperum, orphanorumque mapalia denudare. Delicijs abundare conatur, quando Templorum mœnia corruunt: Equos, canes, et ſcurras nutrire, quando populus langueſcit eſurie. Flagrat iungere domum ad domum, uillam ad uillam. O' miſerum illum, et cunctis cumulatum ęrumnis! Quid reſpondebit, cùm audiet ſibi dici, Stulte hac nocte periodum vitę concludes, et quę paraſti tot iniuſtitijs, cuius erunt? Dormies ſomnum tuum, et in manibus tuis nihil inuenies. In ventum laboraſſe cognoſces. Deuorans flamma te manet.

Illa sitis habendi, quę inter homines satiari non potuit, explebitur inter dęmones. Idem tu, qui nunc fortunę consortem non pateris, iam iam suppliciorum omniũ eris particeps.

Caret honesto animus fide carens.

ANimo fide carenti nil inest honesti: Lãguet à se ipse diffidens, secumque discordans fractus viribus rationis, in sensus nõ exercet imperium. Author culparum multis implicatur erroribus, et angustus, et imbecillus deteriora sectatur. Sursum ad stolam glorię aspirare non audet, et turpiter immunditijs inhiat. Nulla probitatis monumenta custodit, et sanctę Hierusalem habitator esse nõ cupit. Sua ipsius tabescit fœditate confusus. Si fidei virtus abest, vita seruitus est. In mentis consilio nulla viget licentia, et quęlibet gratia libertatis amittitur. Seruitur carni, seruitur affectibus. Opprimunt animum vincula vitiorum, et catenata flaccescit voluntatis authoritas. Oculorum fenestras aggreditur mors, et totam intellectus euertit arcem. Particeps captiuitatis est cor, et perduellem agnoscit in visceribus sanguinem: nec repugnat latere sub umbra peccati, et sordibus obsolescere turpitudinum.

Dignitas Ecclesiastica Christianum non facit.

Non

NOn facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Assequi dignitatem, fortunę est: promereri virtutis. Non est honor in honorato, si testimonium est excellentię, quam cùm alter aduertit, in errore versari potest. Honor est Iris, quę corpore caret, et obsolescit vix nata. Aeris pompa vanitati finitima, nubium ornamentum simulationi propinquũ. Rutilat varietate colorum, et firmam non induit speciem. Cœli dicitur risus, et admirationis est partus. Ridet enim cœlum quæcunque admirationi sunt mundo. Emicat inter pluuias, et effigiem mutuatur à Sole: quia prouenit è laboribus ad potestatem elatio, et accipit à Principe formam. Indicium tempestatis est, quando nascitur mane: argumentum tranquillitatis, quando attollitur vespere. Expectantur è iuuenum dominatu turbines, et procellę: E' magistratu senum quies, et securitas uitę. Rarò perfectionis alimentum est honor. Ad commoda carnis plerumque conceditur, et in officia spiritus uerti nequit. Idcircò frequenter de loco mouent Angeli cãdelabra, infatuatumque identidem sal à porcis conculcandum eijcitur foras. Non decet, vt pondus illud, quod humeris formidatur ãgelicis, malè sustineatur humanis. Vt magna Dei domus paruo recumbat in baculo, et boue relicto vocetur uitulus ad aratrum. Nec Christo, nec Christiani titulo dignus est, qui laudabiliter non laborat in uinea Christi, et torpens solummodò honorem ambit. Feriatus est à quiete constitutus in dignitate. Do-

 minij

minij conscius, libertatis fit inscius. Alios regens sui iuris non est. Nullum habet arcanum, nullaque valet licentia perfrui. Patet in publico quicquid cogitatur in aula. Omne aulę secretum famę tribuitur distinguendum. Pondus est pręsidere, quo nihil est grauius, nihil est difficilius. O' quamplures deficiunt sub hoc pondere. Non sufficit ad regimen animarum, nec ars, nec scientia.

Vera nobilitas non extat in carne, sed in animo.

NObiles apud Deum sunt innocentes, et sancti: vitijs, sceleribusque corrupti sũt ignobiles õnes. E' testimonio cõscientię desumuntur nobilitatis insignia. Nequit nobilis appellari, qui seruit peccato. Sonat libertatẽ nobilitas, quę non extat in carne, sed inuenitur in animo. Virtutum gloriatur ornatu, nõ imaginibus superbit auorum. Diuina in corde abscondit eloquia, libidines non contegit supercilio. Collocat in capite sapientiam, nõ gestat in astragalis nominis claritatem. Multùm distant nobiles mundi à nobilibus cœli. Paternos, qui non obliuiscitur lares, et vestigia Christi non sequitur, generosum non captat ab operibus genus, nec copia rutilat gratiarum. Iacet iners, et uiam laudis non currit. Otiatur in somnijs, et coronam non consequitur glorię. Hominum uera nobilitas est diuinę imaginis conseruatio, legum inuiolata custodia, et gloriosa morum honestas.

Spe-

Spectat ad equites Christi, vitam ducere in terris angelicam, talenta numerare cum Stellis, et solum ęternitatis interesse negotijs.

Non qui patitur, sed qui facit iniuriam miser est apud fideles.

APud Christi fideles non qui patitur, sed qui facit iniuriam miser est. Gaudet, qui pro Christi nomine contumeliam pati dignus efficitur. Benedicit, cùm maledicitur: sustinet, cum uexatur: obsecrat, cum damnatur. In sapientem nulla cadit iniuria. Nihil inquinatum incurrit, vbi lucis æternę fulgescit candor. Non est capax maculę Sol. Omnia munda mundis. Aurum luto inuolutum, quando desinet esse aurum? Deo, qui totum est, plenè contentus, nec augeri, nec minui potest. Audit conuicia, non aliter, quàm in sylua strepitus frondium: accipit ignominias, ve fluuios recipit turbulentos Oceanus. Rapiatur ad mortem, veluti victor, qui vehitur ad triumphum. Iniurię uerò irrogator, ueneno corripitur irę, clamat, furit, ignescit, et lethiferam in seipsum experitur in corde malitiam. Ideò in operibus iniuriarum interdictum est agere, quia recidunt semper in authorem iniurię. Semper fidelibus vertuntur in laudem, quę facta sunt in opprobrium. Comparantur montibus iusti, qui capita attollentes ad astra, pro nihilo putant, exagitatos fulminibus habere pedes.

Linguę magniloquę dispersor est Deus.

DEtestabilis apud Deum est sui quęcunque iactatio. meritorum omnium author est Deus. Superbit in Deum, qui sibi ipsi merita laudis asciscit. Arrogantiam induit, et ueritatem ablegat. Leges amicitię destruit, et virtutum lacerat ornamenta. Huius uana est religio. Ex Deo non est, qui humilitatis gratiam negligit aucupari. Linguę magniloquę dispersor est Deus. Suijpsius commendatio neminem approbat: Deus enim commendator est omnium. Maiori semper fit dignus potentia, qui contentus est posse minus, et sẽper est maior, qui non dedignatur esse minister. Scimus primos in mensis non quęrentem recubitus, ad superiorem vocari locum. Humilitas paruuli sublimiorem in regno cœlorum occupat dignitatem, et humilem spiritu suscipit gloria. In schola Christi proprię excellentię discitur abnegatio. A' doctrina magistri discipulus dissentire non debet. Seruũ dedecet currere uiam, quam non cucurrerit Dominus. Nulla lucet uirtutum uarietas, si ornamentum deest humilitatis.

Fides saluat contritos, non obstinatos.

SAluat hominem Fides, non durę ceruicis, sed corde contritum, qui cùm perdiderit

derit, inuenerit animam: Cum se crucifixerit mundo, egerit de mundo triumphum. Non semper laborat in gemitu, cui cor liquescit, vt cera. Spiritum parit salutis, qui contritionem in animo concipit. Non adest sine satisfactione contritio, quę translati in melius sésper argumentum est animi. E' monte myrrhę transitur ad collem thuris. Qui semel compunctionis uino potatur, iucunditatis uino non prohibetur. Scimus inter spinas lilium comperiri: super frontem gementium imprimi signum Thau. Salutarius est scindere corda, quàm vestiméta. Affinis est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Splendidè fulget baptizata lachrymis anima. Ambulat statim in magnis, et terrenę non est subdita potestati. Stolam induit innocentię, et accedit ad statum gratię. Extra virtutem, nil amat: prę- ter Deum, nil metuit. Nulla est prioris delicti memoria, et uetus in profundum maris proijcitur culpa.

Peccatori conuerso, non pertinaci promittitur indulgentia.

SVperbè calcatur clementia Christi, si obstinatè peccãdo speratur in Christo. Peccatori conuerso, non pertinaci promittitur indulgentia. Oculos ultrò claudenti, lætitiã lumen solis non affert. Infirmo, qui negat sanari, medicina non prodest. Exulat à schola Christi perfidia. Valdè Christo repugnat impœnitens cor. Nequiter sordet cor illud, quod

quod proprijs lachrymis non lauatur. Quæ tellus fructum exhibeat suum, nisi frugifero prius irrigata sit rore? De viuentium libro deletur, et cum iustis non scribitur, qui scelera sceleribus addit. Beneficia nō expectet, maleficiorum inuentor assiduus. Quando erigetur ad gloriæ decus inclinans ad turpia? Impij lucerna non lucet, et impio nulla spes est. Discrepat filius tenebrarum à filio lucis. Sperare quo pacto potest, qui bono testimonio caret? Lapidem seruans in animo, pietatis officia non usurpat. Diabolo peior est, qui sperat, et peccat. E' peccato non oritur spes, sed metus. Quid unquam accidet boni ei, qui quotidiè versatur in malis? Semper in laboribus est, et aliud, præter mortis ęternæ sententiam, opperiri non debet.

Vbi Virga non sonat,
Zelus non ardet.

MAgna Numinis ira est, quando peccātibus non irascitur. Vbi virga non sonat, zelus non ardet. Virga tribuit sapientiā. Quos diligit Dominus, corripit. Flagello non parcit Pater, qui filium amat. Pax, quę Patris flagellum non sentit, amarissima est. Virga percussus inferni tenebris non subijcitur. Quid sperabimus de infirmi salute, si medicus cessat à cura? Sępe propter absentiam Medici, infirmitas tendit ad mortem. Incolumitati languentium consulit gladius medici. Medetur, cùm vulnerat: Sanat, cùm percutit.

Pec-

Peccati remouet saniem, et sanitatis inducit spem. Iniquitatũ venena confringit, et lucis producit vsuram. Funditùs cecidit Babylon, quando à Domino derelicta: laxis hinniebat habenis. Titulum religionis oblita, gloriabatur, quando nequiter egerat. Insano correpta furore, voluntarię indulgebat infamię. Aurę spiritus sancti capax non erat, et scelerato æstuabat incendio. Despiciebat conscientiæ morsus, et errorum non deuitabat abyssos. Damnationis indicium est humana prosperitas, et prædestinationis præsagium inest in flagris.

Malus Vulgi vsus non à preiudicat veritati.

PEccantium numerus culpam non minuit. Communio criminis non redolet innocentiam. Vbi declinatur à vero, sententia multorum nil releuat. Sapiunt vitia semper infamiam, et plurimorum amictu honestari non possunt. Impius vulgi vsus non præiudicat veritati. Caret consilio vulgus: Varium, et inconstans nec rationem, nec discrimẽ agnoscit. Quasi bos sine iugo mugit vbique, et horrea plena non iactat. Nunquam licet, quod conscientia prohibet. Multitudo cæcorum semitas non inuenit rectitudinis. Quod vna lex iubet, hominum multitudo non tollit. Quando poterunt aquæ multæ extinguere charitatem? Non est velamen malitiæ Christiana libertas, quæ Deo non parẹt, interitus est. Nemo li-

ber,

ber, nisi, qui seruus est Christi. O' quàm maior gehennæ flamma succrescit numerositate lignorum! Plures mortis æternæ participes non aspirant ad vitam. Vetitum est omni vento agitari, et omnem adire viam. Iustorum semita, quasi lux splendens est. Tenebras nunquam offendit, et neminem inuitat ad lapsus. Soluta legibus scelera sunt, et legum respuũt nexus. Qui malè credunt, viuendi licentiam poscunt, et cuncta sibi ipsis licere fatentur.

Fideles non debent amicitia iungi cum infidelibus.

FIdelium cum infidelibus nulla societas. Quę participatio lucis ad tenebras? Raro inter nubila Sol fulgescit. Sępe socius conuersationis, sucessor euadit iniquitatis. Sępe, qui meritis firmus est suis, turbatur defectibus alienis. Stultus efficitur stultorum amicus. Idem est attingere picem, ac manus fœdare. Superbiam induere est, communicari superbo. E' sanctitate prouenit sanctitas, è peruersitate peruersitas. Cum his, quos Dominus odit, vetitum est amicitia iungi. Reuertitur retrorsum Iordanis, ne maris inficiatur amaritudine. Facinore semel admisso, ad sanitatem reuerti pudet. Vitandus est sanè immundorum contactus. Perit vel innocens in scelere ciuitatis. Tellus culpis corrupta incolenda non est. Vbi sordent omnes, bene olere quis potest? Neminem latet, respuendum esse lac peccatorum, et declinandas omninò semitas

impi-

impiorum. Quis nescit, qua speciali Angelorum custodia à sodomorum incendio salui facti sunt Loth, eius vxor, eiusque filię, et generi? A' tabernaculis Dathã, Abiron, et Core iussus est populus Israel separari, ne eorum criminibus inuoluatur.

Vna oue infecta grex vniuersus inficitur.

SErpit contagio, nisi subitò recidatur, quod putruit. Statim abscindendũ est membrũ spiritu destitutum. Vna oue infecta, grex vniuersus inficitur. Vni parcere, est omnes in discrimen adducere. Fornicatus est Ephraim, et contaminatus est Israel. Semper in semine elidenda nequitia est, et quando debilis est, conculcandus est hostis. Sępe ex vna scintilla maximum adoleuit incendium. Perdit ciuitates, et municipia pestilens aura malitię, et ad medelam solitudo non sufficit. Vndequaq. ingreditur mors, et interimit cor. Corruptioni subiacent oculi, quapropter non debet aspici, quod concupisci nõ licet. Quis ignorat planè committi, quod libenter auditur, et ad malorum odorem indentidem curri? Non sunt immunes aures à scandalo, et etiam naribus hauritur venenum. Vitandum semper est scandalum, omni cura venenum est refellendum. Permittitur nasci aliquando scandalum, si è veritate nascatur, et malitię sequax non fuerit. Nunquam tamen locus veneno datur, vires frangit iustitię, et virtuti non concedit ingres-

ingressum.

Iniqui Societas ferenda non est.

S I peccauerit vnus è populo, ira Tonantis populum irrumpit in omnem. Inquinat omnes vnius delictum. Vnius pecudis morbo ouile currumpitur totum. Tota corruit domus vno dissoluto pariete. Iona vnus est contumax, et nauis in pelago fluctuat vniuersa. Proditor vnus est Iudas, et cuncti periclitantur Apostoli. Obest vmbra malorum, nocet contagionis aspectus. Nunquam ferenda est iniqui societas. Manifestè peccanti nec recludendę sunt fores, nec aue dicendum. Non sunt sine labe peccati, qui vident malefacta, et dissimulant. Communicant aliena scelera prauitatem. Insita est humanæ naturæ malitia, et facillimè labitur ad errores. Rarò inter scelestos intacta seruatur integritas vitæ. Manare nõ potest ab improbis probitas. Clarè constat separatum à Corpore Christi, spiritu Christi non viuere, et flatum euomere pestilentem. Tantũ sine dubio dedecus agnorat antiquitas, quando sanxerat lege, religionis rebellem à populo extra castra lapidibus obrui. Respuit stare cum populo Deus, quousque à populo non conteretur iniquus.

Humana felicitas corrumpit mores.

INimica consilij humana felicitas est. Proprium felicitatis humanę est corrumpere mores, futuri sęculi occupare memoriam, et cuncta dedecoris experiri flagitia. Non eligit meliora, rationi non cedit. In iudicium honestas non adhibet causas. Iumentorum semitam tenet, et ignara prudentię vestigia statuit. Tranquillitatem commentatur instantem, et futuros non rimatur euentus. Citò claudicat fides, vbi fortunę felicitas ridet. Cęca fortuna illorum animos, quos complectitur, cęcat. Quorsum pertinet hominum tam fallax amentia? Pro nihilo dicitur amittere vitam, et appetere mortem: auri acquirere copiam, et cęli perdere gloriam. Quid iuuat in fonte baptismatis renunciasse diabolo, et pompis eius, si ad cumulandas opes studia hominum insaniunt vniuersa? Proh pudor! pedibus calcandę sunt opes. Quando recens in credentibus erat fides, rura, et pręedia vendebantur, eorũque pretia Apostolorum deferebantur ad pedes. Adhuc calebat Domini effusus cruor, et omnes ardebant. Adolescebat tùm fides, cùm grauioribus obsidebatur ęrumnis Ecclesia. Maxima frugum, et fructuum in vinea Christi è sanguine Martyrum agnoscebatur vbertas. Seruabant vincula libertatem, vigebat inter supplicia fortitudo, è lupanari prodibat honestas, pietas discebatur à feris, sanctitas latitabat in syluis, reuerentiam elementa prestabant. Paupertatem amabant credentes, et credentium erat anima vna, et cor vnum. Cilicium non vexabat ambitio, non fugabat litera

spiri-

ſpiritum, probitatem non opprimebat ebrietas. Omnes regebat humilitas, ſeruiebat minori maior, oderat vnuſquiſque primatũ. Nemo reſpuebat iniurias, ibant cuncti obuiam morti. Illorum tunc temporis pretioſa mors erat, quorum vita charitatis incendio examinabatur, vt aurum.

Fides nil timet.

QVęcumque ſupplicia ſunt ferenda pro fide. Ferro ceruix libenter offertur, iugulo collum libenter opponitur. Paruipendẽda ſunt vincula, exilia, opes, honores, et cuncta fortunę mendacia. ſi ſalua eſt fides, ſalua ſunt omnia. Iuuat futuri temporis contemplatio, et in ſumma voluptate periculũ eſt. Quęque aduerſa, vanę humanarum mentium formidines ſunt. Piorum conſolatrix eſt fides. Nemo pius inter aduerſitates expallet. Cruciatus ridet, tormenta contemnit. Paupertatis ignominiam tolerat, et famę detrimenta non erubeſcit. Funerum tędis agitari nil curat, et per ignes, et per aquas raptari pręgeſtit. Vinculis membra ſubduntur, ſed liberior fit voluntas. Vita ſpernitur corruptibilis Mundi, et ſalus comparatur ęterna. Parum refert inter homines priuari diuitijs, vbi immortalitatis præparatur hæreditas inter Angelos. Glorioſus eſt labor, pretioſæ ſunt lachrymę, quando meſſis copioſa promittitur gratiarum. Dulce eſt certamen dolorum, gratum eſt corporis pœna tentari, quando ſpiritus approbatur ad glo-

gloriam.

Etiam innocens malis oppressus non dolet.

INnocentiam pressam malis fides non dolet. Quicquid patiatur iniustè, æquo animo sustinet. Virtutis opera cogitat, et facillimè perfert incommoda. Quotidie ad tentationem est præparata, et ingemiscere nescit. Fortiter durat, et rebus se seruat animosa secundis. Quantumuis in profundum corruat ærumnarum, nunquam cadit à spe. Beneficiorum semper est memor, et iudicijs Domini quocunque articulo temporis non grauatè subijcitur. Nanciscitur in quauis calamitate solatium, et verba confundens cum lachrymis, ait. Si Dei filius crucis expers non est, non erubuero, si vixerim sine cruce? Ero ego pœnarum fortassis impatiens, quando patientiam Christus ostentat in clauis? Opum iacturam non feram, Christum cùm nouero nudum? Honorum cupiditates non respuam, quando spinis coronatum est caput Christi? Poscat dulcia semper os meum, et os Christi aceto amarescat, et felle? Indignabor audire probrum, et Rex regum saturetur opprobriis? Sed quid loquar, si ipsum Dei conticet Verbum?

Vltrò ferenda crux est.

PAri sponte, virtutis est: inuitò, necessitatis. Quantum uelle distat à nolle, tantũ differt à virtute necessitas. Volũtarium ęquipollet electioni. Voluntas coacta, uoluntas non est. In cruciatibus, in tormentis quæritur fides, non dolor. Laudatur uotum, non sanguis. Vltrò ferenda crux est. Meriti rationem non habet necessitas. Qui Christi sequaces sunt, carnem suam libenter crucifixerunt cum vitijs, et confessi sunt Christum operibus. Volens, tanquam hilaris dator, mercedis est particeps. Inuitus, perinde ac necessitate compulsus, retributionis est incapax. Seruorum est trahi repugnanter ad actus: Sapiens, quasi liber, nihil agit repugnãs. Sapiens, cui nouum, et inopinatum nil accidit, semper est temperatus, semper est constans: non dolet, nec inuidet. Patientia, quæ sapit apud stultos contemptum, apud sapientes fortitudinem olet. Irasci sapiens nescit, et aduersam tolerat lenitate fortunam. Obnoxius cõtumelijs gaudet, et animam rursus inuitat ad aspera. Bonorum plenitudinem intuetur in cælo, et vilis haberi non indignatur in terris.

Pro fidei prœmio postulant Martyres mortem.

IN Martyribus prœmium fidei mors. Dũmodò salua sit fides, lætanter vniuersa perduntur. Non aliter, quàm deliciæ concupiscuntur tormenta. Maxima patiendo fortitudo pręcessit. Placet, et iucũda uidetur rabies ho-

es hostium. Omnis moriendi delectat occasio. Discitur contemni, et contemnere. Idem spectatur fortis, et humilis. E' tristitia prosilit gaudium. Amaritudinis nihil sentit in corpore, cuius animus spatiatur in cœlo. Nõ amarus est labor, per quem vitæ suauitas inuenitur. Triumphi gloriam præparat patientię uirtus. Ex pœnarum acerbitate meritorũ progignitur amplitudo. Parum sustinetur doloris, et multum expectatur lætitię. Breuitate mœroris comparatur ęternitas voluptatis. Emitur purpurę dignitas effusione cruoris. Rerum humanarum iactura cęleste acquiritur regnum. In laudes commutantur opprobria, plagę uertuntur in flores. Velociter ęrumnarum priora pertranseunt. Omnem lachrymam ab oculis sanctorũ abstergit Deus, et uix creduntur extitisse mortales, qui fulgent, ut astra.

Zelus domus Dei utitur potius seueritate, quam adulatione.

SAncta est seueritas vultus, quando corrigit delinquentem. Piũ est supercilium, quando arguit arrogantem. Animi probitas assentari sceleribus nequit. Licet exacuere ferrum, si pro culpa census exigitur lachrymarum. Vetitum est ulcisci, quia vltio spectat ad Deum: sed omni furore peccata insectari, magnificum est: Omni impetu in criminationes irruere, gloriosum est. Vilis est adulatio, falsitatis inuentrix, magistra transgressionum, et errorum iniqua nutrix. Lingua adu-

adulantis crudelior est gladio persequentis. Melius est corripi verberibus ueritatis, quam doli assentationibus decipi. Medicus, qui plagas sanare non vult, tumores vulnerum manu parcente contrectat. O' quale fouent uenenum illecebrę! O' quantum latet in blãdimentis exitium! Qui zelo domus Dei comeditur, verborum non vtitur lenocinijs. Calumniantium odia non formidat, Numinis lucra considerat. Audit alios in praua prolabi, et tristatur. Aspicit alios uanitatibus inhiare, et suspirat. Quoscunque cernit agere iniqua, emendare conatur, et fremit, et furit.

Induit nouum hominem, qui uult viuere Deo.

DEo, qui viuit, peccato moritur. Veterẽ destruit hominem, et induit nouum. Execratus nequitiam separat pretiosũ à uili. Intelligit, quę sursum sunt in cœlo, aspernatur, quę sunt deorsum in terris. Contemnit quicquid spectat ad carnem, quicquid ad spiritum attinet, amplexatur. Æternorum incitamento dissipat peritura. Languet saucius charitate, et omnem disperdit pro dilectione substantiam. Vt mundum omninò relinquat, fortiter exardescens dissolui cupit in cinerẽ: ueritatem agnoscit nullam, nisi in cinere reperiri. Solitudinem amat, et procul dubio percipit, nisi hominum colloquia uitet, Christi conuersatione non frui. Pluris facit, soli

Christo placere, quàm cunctis hominibus. Alit nouissimorum memoria mentem, et dulcissimum Christi concupiscit aspectum. Primę resurrectionis est particeps, et secundę mortis non perhorrescit imperium. Incipit aureos gustare torrentes, et delicijs affluere Paradisi. Cœlos apertos incipit intueri, et uerè seipsum agnoscere. In uia resplendet, ut lumen, et florescit, ut palma. Haurit plenitudinem gratiarum è fontibus Saluatoris, et cum æternitate pacisci desiderat nomen.

Nescia seruitutis est Sanctitas.

VEra libertas est, non seruire peccatis, et manifesta nobilitas clarere virtutibus. Quisquis Templum Dei sanctum est, quisquis thesaurum suum in uase fictili possidet. Vno sanguine Christi redempti sunt omnes. Nil refert, quo quis genere natus sit, quando õnes ęqualiter uno fontis baptismate renascantur. In Christi familia frustra primatus appetitur. Honorari non potest seruus, quando cõtemnitur Dominus. Malè sibi arrogat seruus, quod in Domino non pręcessit. Eligit Deus ignobilia mundi: Contemptibilia mundi pretiosiora sunt apud Deum. Animus immunis à vitijs maximum lumen expromit. Subiectionis vincula soluit fides, et adhuc seruos promouet in amicos, si cor vnum, atq. animam vnam credentium omnium efficit. Nunquam amplius seruit, qui filius renuncia-

tus est Abrahæ. Quorum vnus est finis, una est dilectio. Generis diuersitatem ignorat sīplicitas operum. Nescia seruitutis est Sanctitas, seruit duntaxat Deo, cui seruire, regnare est. Diuitiarum cupiditate non trahitur, ambitionis ardore non calet, voluptatum nō sentit illecebras. Argumentum est amicitię virtutis opinio. Vnusquisque diligit probitatem, optimos vitę mores nemo non amat.

Non est gloria, neque laus, ubi peccatum est.

VBicunque peccatum non est, ibi gloria est, et perpetua laus. Innocentię partus est gloria: Integritatis est assecla laus. Gloriosi titulum non meretur, qui peccati uinculis irretitur. Laude non cumulatur æterna, qui sceleris purus non est, et conscius culpę. Deforme malum, peccatum est, transgressio legis, spiritualis vitæ defectus, et priuatio gratię. E' peccato proficiscitur ignominia. Mirabilia legis non contemplatur, qui furoris ardore calescit: In odorem diuinitatis non currit, qui seditionis impetu ducitur. Laqueo carnis obstrictus, auri cupiditate subactus liber esse non potest. Quo fulgebit charitatis auspicio, qui tenebris obrutus latet? Quo stabit in loco deliciarum, qui cordis, et manuū non possidet innocentiam? Nil boni sperat peccator. Peccans in vno, bonorum vniuersitatem amittit, et è Dei monte statim deijcitur. Testimonium laudis, et glorię è consci-

entia

entia sumitur. Anima sancta Templũ est Dei.

Terra nec genus, nec mores mutat.

NIhil interest, vbi simus in mundo, si iuxta legem non viuimus mundi. Idē est in syluis latere, et rusticari cum feris, ac in Vrbe preesse, et ciuica decorari corona. Ignobiles locos nobilitat uirtus. Oculi inhospita tesqua non horrent, quando animus diuersatur in cœlo. Quantumuis producant nemora spinas, satis est inter lilia pasci. In quauis mundi plaga hominis vita, militia est, et pompa non queritur, sed victoria.. Vbique triumphus agitur de peccato, erigitur capitolium. Sepe, que turpitudinis sedes fuerat, facta est domus Dei, et porta cœli. Bene est, beatè est, vbicunque nobiscum est Deus. Vna fides eundem ducit omnes ad portum. Terra nec genus mutat, nec mores. Vnicuique perinde credidit, accidet. Qui credidit tenebris, lucem sperare nequit. Vitiorum sordibus inuolutus, ad cœli militiam non aspirat. Æquum non est legem proterere, et legis prœmia consequi. Aratri nescius quo pacto segetis ubertate gaudebit? E' labore promittitur merces. Argumentum credulitatis est labor. Annos, qui credit eternos, laborat ad gloriam. Qui vanitatibus credit, laborat in ventum.

Vitę moribus, non autem locis inſeritur probitas.

QVibuſcunque in locis ferueſcit fides, aliquid memorabile ſplendet. Pręſcriptam uirtus non habet ſedem. Theatra uirtutē non augent. Viſum eſt apud ſyluas, et inter feras veritatis fulgentiſſimum illud lumen, quod unquam nec vrbes, nec heroes agnorūt. In deſertis ſpecioſa non deſunt. Largiter affluunt deſerta delicijs. O' quid gratię ſub ſilentio latet! O' quid voluptatis continet ſolitudo! Leue argumentum lętitię non eſt cœlū aſpicere, et Dominum contemplari, qui tabernaculum ſibi collocauit in Sole. Dulce leuamen eſt, uitę peractę curſum percurrere, lachrymiſque rigare genas, gemitibusque ueniam poſtulare. Iucundiſſimum eſt, quotidie mori cum Paulo, et uenturę lucis initium opperiri. Vbicunque quęritur Deus, ibi acquiritur ſanctitas. Vitę moribus inſeritur probitas, non autem locis. Etiam è plateis, in quibus corruit veritas, apprehenditur diſciplina. Tabernę, que docent impudicitiam, adhuc innocentiam non excludunt. Sufficit, vt in animo Deus adſit, et fides occupat intellectum. Non abeſt à fronte pudor, et oculi rutilant honeſtate. Modeſtiam portendit inceſſus, et flammeſcit in manibus charitas.

Non

Non est in mundo tutior
Ecclesia locus..

Excitat animum locus. Olent inertiam horti, lasciuia spirat à pratis, aula docet insidias, officina uirtutum Ecclesia est. In horto deliciarum vult, et non vult piger, et timore deijcitur. Primęuę immemor fraudis alloqui colubrum non veretur, et deceptus amittit spem. Offerũt prata rosarum coronas, et subitò verecundię violant leges: Opprimunt oculos somno, et prouocant sensus ad lapsum. Expellit aula pietatem, et mollibus vestimentis durissima contegit pectora. Sordes, quas in vultu non patitur, admittit in mente, et elegantiam, quam ostentat in uerbis, non testatur in moribus. Tutam præbet Ecclesia stationem, sancti spiritus dona distribuit, et iugo, et laboribus erudit iuuentutẽ. Opera cuncta reponit in fide, et cœlorum, nõ terrę promittit hęreditatem. Iucundum, et gloriosum est, solum Ecclesię locum in hoc sęculo petere, vbi dulcedo captatur è forti, lilia decerpuntur è spinis, et tenebrę commutantur in lucem. Vbi quisquis uocatur ad nuptias, nemini aufertur merces, et vnicuiq. constituitur regnum.

Argento plenus, et auro, uiuit
fide inanis, et spe.

For-

FOrtunę vomitus sunt diuitię, et uomitibus pascit, quos ditat. peiora censentur diuitum meliora. Fides, quę fortunæ non subiacet, fortunæ uomitus nauseat. Auri fulgorem odit, argentique execratur albedinē. Nulla est beatitas sequentibus aurum. Non emitur cœli mansio nec argento, nec auro. Quid prodest arca plena pecunijs, si vacua est virtutibus conscientia? Nunquam pecunię peperere quietem, si abstrusę in pecunijs latent insidię. Insidiosa bona existimandæ sunt opes. Quando vidimus diuitem ingredi regnum Dei? Diuitijs affluēs uirtutū est inops. Argento plenus, et auro uiuit fide inanis, et spe. Nixus mendacio consilium ueritatis non audit. Oculis recta non uidet, pedibus uias non ambulat rectitudinis. Vitiorum labe cęcatus vacillat, et claudicat. A' studio charitatis abhorret, et sursum non tendit. Efferascit, et humi serpit. Petit, quod terram sapit, et vltra terram nil credit. Vanos putat siderū motus: promissas in cœlo sedes existimat fabulas.

Discipulus Christi nec censuum, nec honorum est cupidus.

NEc diuitiæ, nec honores sunt cordi, cui cynosura crux est. Leuem fumum putat honores, diuitias lutum. Auro, et argēto carere se iactat Petrus. Cupit dissolui, et esse duntaxat cum Christo Paulus. Christi discipulus, qui sanguinis memor, quo de-

fau-

faucibus Orci redemptus est, non est auidus censuum, nec humanæ gloriæ cupidus. Non purpura tumet, nec paupertate contrahitur. Nihil agnoscit pretiosius uarietate virtutum, et spirat è vultu iustitiam. Præmonstrat incessu modestiam, et sermone redolet sanctitaté. Virgam habere non vult in manibus; legem fouet in pectore. Mundi bona contemnit, humilitate delectatur Ecclesiæ. Coronam, nisi spinarum, non ambit. Dapes, quæ fel, et acetum non sapiant, respuit. Delicias nanciscitur in flagellis. Magis, quàm laudibus, perfruitur contumelijs. Thesaurum suum in vulneribus quærit. Suam spem collocat omnem in clauis. Errat, qui aliter, quàm per pœnas, salutis exposcit viam. Declinat à recta, qui gressus non sequitur Christi. Certat, sed coronam non assequetur. Currit, sed brauium non comprehendet.

Emitur terra diuitijs,
cœlum virtutibus.

PAuperem esse Christi causa, laudabile, est, sed nihil appetere, gloriosum. Bonorum amotione præsentium demittitur corpus: futurorum priuatione deijcitur animus. Quò nobilior est animus corpore, eò gloriosius est deponere, quæ sunt animi, quàm quæ corporis. Caput adhuc reclinat in terra, qui appetitu non caret. Ad pauperes spiritu, in quibus mundi huius Princeps nil habet, uera spectat beatitas. Verè abnegat semetipsum, qui

qui nec proprium agnoſcit arbitrium, nec ul-la humanorum erigitur ſpe. Cæleſtium rerũ non deeſt vbertas, vbi terrenarum adeſt ege-ſtas. Cœli, et terræ vniuerſa uenalia ſunt. Illa nihil habendo, iſta pretio comparantur. Venale eſt cœlum, venale eſt terra. Accedũt ad illam, qui poſſident; ad iſtud, qui nihil habent. Emitur terra diuitijs, cœlum virtutibus. Mundi corruptibilibus peritura parantur: animi incorruptibilibus ſempiterna. Soluitur aurum ignitum, vt cæleſtis pateſcat aula. Mammonæ theſaurus impenditur pro ſolio vanitatis.

Fides vendi non poteſt.

NIhil eſt tanti, quo fides, quę de cęlo delapſa eſt, rebus vendatur humanis. Theſaurum terra non habet, qui poſſit fidei comparari. Fides ipſa theſaurus eſt, vbi fures, nec effodiunt, nec furantur, nec ęrugo, nec tinea demolitur. Venduntur ſomnia ſomnijs. Fide emitur veritas, et veritatis doctrina non cadit ſub pretium. Benedictionis fit expers, qui veritatis primogenita vendit. Pręſto eſt abſque argento, et abſque vlla commutatione vinum cõpunctionis, et lac charitatis. Lugeat cęleſtium venditor gratiarum, et emptor nõ gaudeat. Optimum, quod deſcendit à Patre luminum, gratis datur, et capitur. Vt radius Solis, ita nequit venire pax animi. Vileſcunt religionis officia, ſi mercedem agnoſcunt in terris. Sordent ornamenta virtutum, ſi venalia

lia

lia proponuntur in nundinis. Semina cęli sunt dona fidei. Si spargũtur in lapides impietatis, confestim arescunt: si in terram decidunt bonam, fructum faciunt centuplum. Abundantiam sumunt à Deo, qui beneficiorum largitor est omnium.

Integritatis signum paupertas est.

QVem suscipit nudum Ecclesia, diuitem non accipit cęlum. Vendit omnia, quę habet perfectus, et dat pauperibus. Indignatur sarcinam terrenorum, et pennis columbę volare cupit. Immortalitatis splendore vestitur, et mundi despicit ornamenta. Supellectilem vsurpat è stellis. Omne terrenum, aut consumitur vermibus, aut ęrugine. Nuda virtus diuitiarum non eget pręsidio, referta meritis dignitatem custodit angelicam. Ludus fieri fortunę non metuit, et temporis dona refellens, ęternitatis affectat honores. Diuinę philosophię magistra, integritatis signum paupertas est. Nullius capax est mali, tentata non frangitur, oppugnata non comminuitur. Rutilat vel abiecta: formosa est, adhuc incompta. cogitat semper quò migret, et quid patiatur, nõ curat. Dextrũ in omnibus habet Deũ. Gaudet mentis agilitate, quia carni non subditur. Æstate mendicare non potest, quia pauescitur intellectus. Sancto perfruitur otio, et finitima veritati tenebrarum errores non sustinet. Amica modestię Deo psallit, cùm silet.

Nullo

Nullo cum strepitu enumerat dies, et nobili pudoris titulo decorata fores sibi reserat Paradisi.

Nihil est amabilius Deo, nihil delectabilius agnitu, quàm ipse Deus.

IMpietas est Deum non amare, sed Deum nõ agnoscere, insania. Omnibus necessaria est notitia Dei. Optimè existimare de Deo, pietatis initium est. Debitum, quod contraxit è cunis, obliuisci quis potest? Principia rerum memoriæ semper occurrunt. Omni tẽpore nostras percutiunt aures voces illę salutis, quibus Diaboli respuimus iugum, et uestes induti candoris adhęsimus Deo. Dedecet filiorum adoptionis titulum accepisse, et Patris imaginem non effinxisse sub pectore: hęreditatis optare possessionem, et paterna non venerari vestigia. Fastidimus in terris quicquid est, pręter Deum. Marcet repentè, quasi flos agri, quęcunque formositas terrę. Quos Mundus largitur, instar fumi euanescunt honores. Vires, opes, diuitię, et munera vniuersa fortunę, minora sũt puncto. Nihil est amabilius Deo, nihil delectabilius agnitu, quàm ipse Deus. Vt ipsum amemus, beneficia diuturna nos admonent; vt ipsum colamus, ipsamet humanitas defectura nos docet. Omnia habet, qui Deum habet. Vbique est, nullibi deest. Amantium, colentium Deum merces est ipse Deus.

Con-

Contrariorum nulla est societas.

IMpij pacem cum pijs non habent. Pacis radix mansuetudo est, quę non inuenitur in impijs. Nunquam conueniunt lupi cum agnis, Accipitres cum Columbis. Pacis mansuetudinem non agnoscunt, qui ambulant in circuitu. Contrariorum est vana societas. Lux cum tenebris simul esse non potest. Quando dispares mores coierunt in vnum, si disparia studia semper affectant? Nulla vis est naturę, vt sui valeat vnquam effingere dissimilia. Ecclesia pietatis parens, alere in sinu non patitur filios impietatis. Arcet Ecclesia lupos latratu canum, baculoque Pastorum. Adhibet baculum, quotiescunque latratus non sufficit. In primis custodiendus à lupis est grex odoratu canum: Deinde rabies est perterrenda luporũ impetu baculi. Decet luporum indagare vestigia, et agnos tueri non tantum à morsu, sed etiam ab intuitu. Inimicorum intuitus non est sine fascino. Minuit vitæ caloré, refrigeratq. in artubus sanguinem. Pascua læta nil prosunt, si insidiæ latent in pascuis.

Orta est è peccato mors.

STimulus mortis peccatum. Amittitur vita statim ac à iustitia declinatur. Præsto est repentè defectus vitæ, vbi adest rationis occasus. A' ratione deflectere, idem est ac pec-

care. Nisi peccatum intrasset in Mundum, non expalluisset in mundo mors. Nulla est a morte immunis ætas, quia commune est omni ætati peccatum. Æquè, ac senex, moritur puer. Ab eius obsidione nec potens, nec diues eximitur. Apud eam fallax est gratia, imbecillis est fortitudo. O' quàm amara est eius memoria, ò quam terribilis est eius aduentus! Quãtò tardior, tantò certior. Eò durior, quò remotior. Cunctis parat insidias, et Elementa non obstant: Metu concutit vniuersos, et astra non adiuuant. Ille duntaxat eius arma non timet, qui in seipso non viuens, in Christo viuit; qui cupit dissolui, et esse cum Christo; qui vitæ discrimina enumerãs, in animæ amaritudine recogitat annos; qui Mundi diuitiarum ignarus, nunquam carnis illecebris iacuit irretitus. Moritur plenus ille dierum, et vitã in sepulchro nanciscitur immortalem. A' stadio transit ad præmia; à bello ad triumphum.

In speculo patientiæ spectatur imago doctrinæ.

OBmutescendum est, non querendum, cùm humiliamur. Mulierum vitiosa supellex querimonia est. In speculo patientiæ spectatur imago doctrinæ. Nisi praecessisset peccatum, humilitas non adesset. Semper, aut sæpe præcedit humilitatem peccatum. succedit sceleri dolor: sed prosunt, vt medicamina, cruciatus. sibimet ipsi imperare, dum patitur, animus discit. Expugnat Vrbes, qui volunta-

tis

tis suæ dominatur affectibus. Magnæ virtutis est mutationem sustinere fortunæ: audire, et tacere: lædi, et ignoscere. Nil differt à fortitudine patientia. Patiens æquè, ac fortis bene vtitur omnibus. Aduersorum casus non metuit, et sine strepitu armorum permanet in possessione victoriæ. Quando deprimitur, exaltatur christiana religio. In iacturis nanciscitur incrementum, inter procellas aucupatur amœnitatem, et captat ab ignominijs gloriam. Censet dulce, quod est amarum: putat quietem, quod vexat, et retur trophæum, quod dolet.

Est materia prœmiorum afflictio mundi.

VIncitur patientia liuor, frangitur humilitate superbia. Malum superatur in bono. Inueniunt in contumelijs Apostoli gaudium. Prouenit è persequutione beatitas. Est materia prœmiorum afflictio mundi. Momētaneum tribulationis in terra, æternum gloriæ pondus operatur in cœlo. Subiacent tempori, quæ videntur; quæ non uidentur æternitati. Hominum opprobria metuenda non sunt. Scriptum est enim, per patientiam vestram possidebitis animas vestras, et patiens uir multum prudens. Scimus socium passionis, adhuc consolationis esse consortem. Perfruitur tandem corona iustitiæ, qui cursum impleuit, fidemque seruauit. Sequitur Agnum quocunque ierit, et sicut audierit, in ciuitate

Domini, uidet. Gloriæ ſtolam indutus incõmutabile poſſidet regnum, quod hominum cor non percipit. Lætitiam illam inenarrabilem tenet, quam auris non capit humana: Lumen illud æternitatis miratur, quod oculus carnis intueri non ualet. Præter Deum, nil appetit, et latè guſtat, quàm ſuauis eſt Deus. Delicijs affluit, et delectatur in multitudine pacis. Habitat apud patriam, in qua lætantium omnium habitatio eſt. Angelorum commercio gaudet, et ſocietate ſanctorum exultat. Per gratiam obtinet quicquid non aſſecutus eſt per naturam. Omnibus Domini bonis potitur in terra uiuentium, ubi Domini bona longè maiora ſunt uotis, et acquiri duntaxat, æſtimari non poſſunt.

Induenda ſunt arma lucis, non ferri, ut fides adaugeatur.

VSus armorum fidem ſemper non auget. Euaneſcit patientiæ uirtus, quando perſtrepit impetus ferri. Lenitatis amittitur gloria, quando ſanguinis gutta diffunditur. Animum uindicta confundit, adimitque clementiæ laudem. Senſus mancipat iræ, et tollit titulum libertatis. Induenda ſunt arma lucis, et ita abijcienda ſunt opera tenebrarum. Muniat pectus thorax iuſtitiæ, et galea ſalutis adornet caput. Inexpugnabile ſcutum eſt æquitas, lorica fidelis eſt charitas. Grande certamen eſt, quod intra hominem eſt. Nullo puncto temporis intermiſſo cum ratione congre

greditur sensus, et propugnacula rationis præsumit euertere. A' sinistris ille consurgit ad arma, et à dextris molitur insidias. Illa leuans se supra se, inimicos refellit incursus. Ille leges contemnens audaciam nutrit: Illa à mandatis non distans, cum humilitate concordat. Ille iactans lenocinia carnis! cõfusionem adducit. Illa viribus confisa spiritus, ueritatis affectat honores. Resistit munita consilijs, despicitque percussiones loricata uirtutibus, fortiter ex vtraque parte pugnatur, et vtrinque victoria semper est anceps.

Perdenda potius est uita, quàm fides.

DEcet baptismate imbutos ante perdere uitam, quàm fidẽ. Artus vincula ligãt, non animum. Etiam intra carceres gaudet libertate uoluntas. Gaudium inter ęrumnas nõ deficit intellectui. Viuit nõ sibi, sed Christo, cuî tantum placere studet etiam in tormẽtis. Ridet tyrannorum sęuitiem fides, et ob pœnas consilium non mutat. Reuerti nescia sẽper incedit. Labori incumbit alacriter, et tędium laboris excludit. In casu aliquo, aut prolapsione languere nescit. Debitum meritis prœmium, non in terris inter homines appetit, sed inter cælites præstolatur in cœlo. In quauis rerum difficultate constantior, supplicijs inuicta resistit, et religionis instituta non negat. Innocentiæ sequax ad charitatis necessitatem omnes prouocat sensus. O' quot

ſunt fortes in fide, quando eorum cupiditatibus fides ſeruit! Zelo feruere uidentur, ſi purpuræ calore flagrant. Ad Caluariæ montem aſcendunt, ſi triumphant in Capitolio. Optát otia in curis, poſcunt delicias in laboribus. Credunt ſolummodò, quando exiſtimatione, et dignitate cęteris antecellunt, ſubdunturq. legum decretis, quando philacteria dilatant in Templis.

Nemini parcit libido carnis.

LIbido carnis, quę dominatur in ſerico, in pannis laſciuire non deſinit. Æquè purpuram regum aggreditur, ac pauperum immunditias. Maieſtatis ſplendorem non metuit, et mendicantium ſqualori nō parcit. Aduerſus animam pugnat, quę ſi uirtutum loricã non induat, inermis, et nuda eſt. Anima non auro, nęc gemmis fit fortior. Inter delicias amittit vires, et dignitate perturbatur humana. Terrena luce fulgere neſcit, et innocentię tantùm candore lętatur. Nunquam uiriliter agit, niſi quando conculcatur iniurijs. Nunquam gratiarum plenitudinem obtinet, niſi quando ſe cenſet exinanitam, et vilem. Dei filia tunc nuncupatur, et nullos extrinſecus quęrit ornatus. Habet pro ludo ieiunia, pro delicijs orationes, et cantica. Illi dici nō poteſt, ut tanquam mortua mortuos ſepeliat ſuos. Viuit in corpore ſine corpore, et uirginem ſuam Domino ſeruat. Supra naturam, quod

quod ipsa natura docet, exercere non vult. Radicem negligit propagare, et uirginitatis poma decerpere studet. Ignorare thorum gaudet, et omnem horret contactum. Oleo ad lampades pręparato sponsi cælestis expectat aduentum.

Solitudo nemorum palæstra pœnitentię.

Pœnitentię uera palęstra, nemorum solitudo est. Spirat è latebris aura modestię. Docent virgulta ingenuitatis amorem. Monent saxa constantiam. Discitur animi candor è lilijs. Verecundia vultus suadetur a rosis. Habet suas voces silentium, et inter anfractus iustificationum ostendit uias: Arborū lachrymantium demonstrat electra, et siccitatem increpat oculorum: pręcipites fluminum indicat lapsus, et lubricos vitę mortalis denunciat casus. Latent sub umbra futuri sæculi tempora: ab umbra pręnoscitur, perinde deficient uniuersa, et aget de cunctis triumphū mors: perinde cuncta extremo concident igne, et pœnas, aut uoluptates ęqua lance decernat æternitas. Fugiat vrbes, et hominum cœtus, qui corrector vult esse morum, qui subdi sensuum indignatur imperio. Vrbes in quarum plateis identidem corruit ueritas, ò quot nequitiarum aperiunt officinas! ò quot flagitiorum nundinis gloriantur! Nunquam abest à multiloquio crimen. Nulla mortaliū conuersatio sancta est, si cuncta mundi nego-

cia redolent carnem.

Meditatio legis, et mortis debet esse tota fidelium vita.

TOta fidelium vita, meditatio legis, et mortis est. Voluenda semper est animo præceptorum catena, quę postremò vertenda est in coronam. Omni tempore imago mortis ante oculos effingenda est, vt in eius aduētu nihil adsit horroris. Procliue ad malum est hominum genus, et nisi ui legis, et memoria mortis, vitiorum non coercetur improbitas. Mortalium status omninò ruit, et irrecusabilis est mortis necessitas. Agnoscitur Deus ex lege, et legi parere, Deo seruire est. A' morte perdiscitur, hominum patriam non esse terram, sed cœlum, et instar aquæ uniuersa delabi. Custos ueritatis est lex, sine qua perdurare nil ualet in mundo. Laborum finis est mors, sine qua spiritus pugna cum carne non desinit. Immaculata est una, quietis amica, animas conuertens ad bonum, et præstans sapientiam paruulis. Pretiosa est altera, à vitę angustijs feriata, benedictionum afferens fructus, et odorum suauitate non carens. Metuit primam, qui sensuum vinculis iacet obstrictus: Horret secundam, qui uitam non expectat æternam. Manet mors omnes, ligat lex omnes. Solum spiritu ducti neque sub lege, neque sub mortis imperio sunt. Abundantia gratiarum diuites facti, in medio cordis collocant legem, vt gemmam, et cun-

ctis

ctis horis mortem prestolantur, ut proemiū.

Vita fidelibus est iucunda, Scelestis molesta, et grauis.

FIdeli duntaxat iucundus est cursus annorum, scelestis non item. Patribus iuxta charus, et plebi. Viuit in terris non secus ac si descendisset è coelo. Terram non olet, et terrenis non inhiat rebus. Ad leges accommodat voluntatem, et vltra nil appetit. Ærumnis premitur nullis, et quietem, et pacem haurit ex ōnibus. Inter hyemis tempestates, et nubila, animi gaudet candore, et tranquillitatem cum sensibus paciscitur sempiternam. Verno tempore florum ad germina spiritum excitat, et uarietate uirtutum prata mentis colorat. Diuino flagrare incendio discit ab æstibus Solis, et quicquid seuerit lachrymās, metit exultans. Maturitatem imitatur Autūni, et non pomorum monile, sed iustitię coronam expectat. Molesta est impijs omnis ętas, omnis populus, omnis regio. Nullibi morum iucunditatem inueniunt, qui compositionem in corde non fouent affectuum. Apud illos nullibi uoluitur faustis coelum influxibus: Flores non apparent in terra, neque ulla Columbę dulcis vox sonat. Vbique uersantur in malis, internaque viscerum perturbatione laborant.

Difficulter mutatur habituum diuturnitas.

 Facta

FActo vespere, si cœlum est rubicundum, serenitas erit. Diei pars maior est vesper. Quoties vesper uitę charitatis flamma rubescit, serenus expectatur occasus. Difficulter mutatur habituum diuturnitas. Inueteratam violare consuetudinem ingenuitas nescit. Ius, quod semel moribus constituitur, cùm ueterascit, non faciliter tollitur. Consuetudinis potens imperium est. Semper inconcussa seruatur, et fit uetustate robustior, quando uetustas errorem non vsurpauerit. Sanctitatis custos est rubor. Nihil patitur tenebrosi, et omnes errorum vmbras excludit. Secum affert salutis insignia, arcetque procul pallorem, scelerum argumentum. Comes lętitię confusionem expellit, et animos exultans ascendit ad palmas. Discant mortales assidua charitatis flamma rubescere, si tenebris inuolutum offundi nolunt senectutis occasũ. Nunquam noctis horrorem uerentur, qui lucernas ardentes quotidie gestant in manibus. Obrui nequit obscuritate, cùm moritur, qui uitam agens, perdiù vixit in luce.

Vnicuique impiorum apud inferos seruatæ sunt pœnę.

PŒnę apud inferos præparatę sunt impijs. Sua quemque vexabit fraus, suum queq flagitium puniet. Sedebit superbus in Cathadra pestilentię serpentum diademate coronatus, flammis deuorantibus obsitus sempiternis. Sitiet adhuc inter vmbras auarus, aurum

bibet

bibet ignitum, et cupiditate metallorum exardescet insatiabili. Gemet lasciuus, turpitudinum cumulo circumactus, in amplexus corruet portentorum, immanique fœtore cũ laruis coire non respuet. Iugiter inuidus ululabit, et in seipsum lacesset vngulas furiarũ. Rabie consumetur ardenti, toruisque oculis decerpet undequaque venenum. Pœnarum, stimulis agitabitur piger, et inter Dęmones assequetur cras illud, ad quod inter homines peruenire non poterat. Qui noluit tempore suo producere fructus, uelut arbor inutilis deuorabitur igne. Ad mensam incendiorũm inuitabitur helluo, et aquę guttam postulabit incassum. Aspidum felle extinguetur auida uentris ingluuies, et fauces explebit, aut sulphur, aut fumus. Opprimetur iratus tenebrarũ horrore, succumbetque cęcatus confusionis opprobrio. Stridore dentium compescet clamores, fletuque immani corriget impetus.

Longè est à iustitia durum cor.

MAli propositi tenax, mentis obstinatione laborat. Mutari nequit in melius, et perfidię inhęret operibus. Rationis argumenta non audit, et veritatis consilium respuit. Superbię particeps non vult corrigi, nec redargui. Prima inficiatur principia, et inutiliter concupiscit. Spontè moratur, quando proprium pręstolatur exitium, et credit necesse, quod duntaxat est velle. Simulatio-

nium

nũ inuolucris tegitur, et tenebràs cõponit in lucem. Venenum sub corde fouet, et mortifera eructat verba. Rumpit vincula legum, frangitque iugum, et frontem ostentat ęream. Ferreo colligatus arbitrio petulans, flagitiosus, acerbus, desipit, delirat, insanit, et tanto in errore versatur, vt animum non solummodò, sed etiã dexteram scelere violare pręsumat. Turbulenta lues semper flagitijs accommodata, pertinacia est. O' quàm odit ceruicis duritiem Deus! Duros gladio, et elementorum violentia punit. Raró elicitur mel de petra, oleum non sępe hauritur è saxo. Longè est à iustitia durum cor, et in nouissimo malè se habens, frequenter ruit in peius.

Exterminant perfidi uineam Christi.

IN uinea Christi, vbi terra non recusat imperium, et pro quolibet semine iacto restituit centuplum: vbi datur obedientibus uinum, et designat ebrietas sapientiam, pacificum perfidi non inueniunt locum. Perfidi, qui, rosis coronati, non spinis, per prata lasciuiunt, qui uestes ouium, sed animos luporum induti superbiunt, spoliant, et ueluti vulpes exterminant uineam Christi. Qui nũquam sedentes in pulchritudine pacis, nec unquam quiescentes in fiducię tabernaculis, amputant uites, non palmites, et abrumpunt vindemię spem. Cupiunt radijs Lunę, non Solis maturescere botros. Exprimunt sangui-

guinem torculis, et recondunt in dolijs fæcem. Verbis precipitationis prouocāt tempestates, et grandinem. Odorem inquirunt bonum, et prohibent fructum. Vinum, nec germinans virgines, nec compunctionis exoptant, et uino madent iniquitatis. Execrantur laborem, et otiosi stant tota die. Non credūt agricolam Deum, neque unquā experti sunt celestis agriculture dulcedinem.

Seculum ferri mores non patitur, nisi crudeles.

PErijt fides, et que fuerat iustitie, facta est cathedra pestilentie. Exemplum iniquitatis ad multorum perniciem serpit, vt Cancer. Odoris boni respuitur gloria, nec est, qui discat honesto flagrare præconio. Placet nocendi uersuta voluntas, cunctasque contemerant domos manifesta flagitia. Iacet extinctus à fratre frater. Dubitat Parens de nato. Coniux è coniuge non euadit incolumis. Amicitie dulcissimum nomen euanuit, et quisque suam formidat vmbram. Sæculum ferri mores non patitur, nisi crudeles. Peccasse neminem pœnitet, et vndequaque efferascit impietas. Importuna verborum oratio consonat conscientiæ scelerum. Augetur in dies libido, et iniqui prauitas vsus aboleri non poest. Sanctorum Templa à periculis sarta tecta non conseruantur. Contra regem perduelles insurgunt, et cum Deo sacrilegi pugnāt. Iam iam ultimæ buccine clangor supremum

aduo-

aduocat diem. Propè est, vt stellæ de cœlo cadant. Incipiunt elementa confundi, et fœdera rerum perturbata dissolui. Subiacent casibus polorum axes, et mundi moles vniuersa fatiscit. Totus contremit Orbis terrarum, abiturus in flammas, desiturus in cineres.

Æstuans vino, charitate non æstuat.

REgnum Dei non appetunt ebriosi. Sanã non habent mentem, et deflectunt à recto. Exultant in cadis, et opera Domini non respiciunt. Spiritus sanctitatis inter calices euanescit. Qua uia, qui viuunt in terra suauiter, inuenient sapientiam? Admittit stantes celestis Ierusalem, non iacentes. Iacent, qui vino percussi perdiderint intellectum. Mordet vinum, vt Coluber, et sicut Regulus venena diffundit. Oculos erigit ad extranea, et cor exagitat ad peruersa. Nunquam conuenit thus cum vino. Æstuans vino, charitate non ęstuat, nec voluptatis æternæ torrente potatur. Inops rationis ebrietas morum turpitudinem induit, et animæ corruptelam. Ignescit, et lãguet. Expallet, et titubat. Rixas excitat, et arcana reuelat. Nudat pudore corpus, sensusque peruertit omnes. Ignauiam prouocat, et libidinum irretitur illecebris. Venus libidinum mater è spuma vini potius, quam è spuma maris progenita est. Nil differt vinum à mari. Expers consilij vinum, non particeps fidei mare. Illud non inscium fraudum, si conscium atrocitatum est istud. Si turbines erum-

punt

punt ex vno, et naufraga est ratio: prosiliunt tempestates ab altero, et nauium ligna mergũtur. Bonorum vomitiones producit vtrunque.

Spectat ad belluones.
confusio.

QVorum Deus venter est, illorum gloria est confusio. Illi nomen Dei non portant in fronte, nec vestimentis incedunt candidis. Agnum Christi quocunque ierit, non sequuntur, et velut mortui curam habent de mortuis. Vitiorum sordibus saturitas obsolescit: Virtutum suauitatem contemnit abdomẽ. Princeps mundi huius O' quantum in illis agnoscit, vt suum! Hac de causa conuiuijs filium, luxurięque vacantem lapidibus destinabat Antiquitas. Sępe insperata, et ex parietibus adhuc erumpens, epulantes inuasit mors. Regnum Dei non est esca, nec potus. Pręceptum est Sacerdotibus, ne vinum, et siceram bibant: ne nominis dignitatem gulę operibus destruant. Qui secundum carnem sunt, quę carnis sunt, appetunt. Diuinum fastidiunt mãna, et carnium concupiscunt odores. Escis, nó gratia stabiliunt cor, et curis huius vitę grauati, oculos nequaquam attollunt ad cęlum. Sobrios omnes, et vigilantes Apostolus vult: Pręnoscit fore, vt esurient tandem, qui nunc saturantur, et ab vlulatu non desistent in flammis, qui modò psallunt bibentes vinum.

Pate

Patescet in sepulchro quicquid latuit domi.

AGnoscetur in morte, vtrum quis de fide fideliter senserit, an improbè simulauerit: Si omnem deposuerit malitiam, si concupierit lac sine dolo. Dum quis viuit, si velit, aut nolit, scire difficile est. Exitus acta probat. Quicquid dubium est in principio, semper clarescit in fine. Mendacium diù cęlari non potest. Soluitur tempore captio, quam humana calliditas enodare non sinit. Mors, quę animam secernit à corpore, sensus quoq. distinguit ab actibus. Nudat arcana mentis nuditas corporis. Aliter sonant ossa, quam mēbra. Quicquid latuit domi, clarè patet in vrna. Aliud est ambulare in circuitu, et aliud est loqui inimicis in porta. Tunc, qui credit, nō petit inducias. Ianuam cordis pulsanti confestim aperit iudici. Nulla culpa tenetur erroris. Alienum non habet ęs. Nullius depeculatus est famam: Cunctis ignouit: Omnibusq. satisfecit: Impuros lachrymis deleuit amores: Irarum ęstus extinxit copia gratiarum. Tunc suauis est mors, et ęrumnarum est finis. Tunc honor credentibus Deus est, et non credentibus lapis. Crux Christi non credentibus precipitium est, et credentibus vita.

In Iudicio vniuersali termina-bitur fides.

Ter-

TErminabitur fides, cùm postremò tubarum perstrepet clangor, et surget è tumulis mortuorum exercitus, Mundi cardines contremiscent, et ignis ardore elementa tabescent. Quando obscurabitur Sol, et lumen suum Luna nō dabit: Quando cadent stellę de cęlo, et rerũ vniuersitas ibit in tenebras. Tunc pàlam se omnibus ostenderit Christus, et fiet omnium Iudex, qui prius extiterat omnium aduocatus. In nubibus veniet Angelorum, sãctorumque stipatus exercitu, vel pœnę, uel glorię prolaturus vnicuique sententiam. Vel à dextris, vel à sinistris statuet vnũquemque, et legenda vniuscuiusque delicta describet in fronte. Tunc, quod nunc latet, credidisse iuuabit, spreuisse pigebit. Excusationi non dabitur locus, et os damnatorum iniquitas contrahet. Superbi timore correpti, ut semetipsos abscondant, rogabunt montes, ut cadant. Paupertatis ignari diuites expallescent, et congestas in sinu diuitias, carbones existimabunt ignitos. Erunt odio regna, molestiam afferent dignitàtes. Ab eo, cui plus datum est, plus exigetur. Heù quàm tędebit traduxisse sine lachrymis dies, et cursum vitę nullis incommodis peregisse! In vinea Christi non laborasse, et haustum aquę nequaquam gustasse de fontibus Saluatoris! Magnus rubor tunc erit omne arduum tentasse pro corpore, nihil boni pàrasse pro spiritu. Opprimet cunctos confusio. Solum pauperes exultabunt, et ad promissa consurgent, quoniam ipsorum est regnum cęlorum, ipsorumque non est in finem

obli

obliuio. Fulgebit minimorum conditio, quoniam cohęredes Christi immortalitatis induent stolam. Comedent tunc, qui Christo seruierint, qui Mammonę paruerint, esurient. Illi gaudebunt: hi confundentur. Illi prę lętitia cordis laudabunt perenniter Deum; hi prę cōtritione spiritus vlulabunt, et in execrationes ora conuertent.

T



DE-

HVMANA DE FIDE.

Humanę fidei origo.



Lluxit in Mundo fides, vt hominum animos ad concordiam inflammaret, tantoq. adoleuit ardore, vt alter pro altero bona non solum promitteret, sed etiam obligaret, et vitam. Voluit fortassis augere consuetudinem hanc, et corrupit ambitio. Fraudes introduxit, et dolos. Beneficiorum obliuiones edocuit, et mille insidiarum instituit artes. Omne finxit flagitium, et mille malorum conflauit nomina. O' quantũ impietatis exortum est è meritorum inopia! Emanauit iniquitas è virtutum penuria, et extincta est laus probitatis ob affluentiam delictorum. Abijt cordis, et oris simplicitas. Pacis euanuit cogitatio, et in labijs omnium laciniosus contabuit sermo. Venenum inęqualitatis polluit vnumquenque, et inter omnes ęmulationis certamen exarsit. Violatus est pudor, contemerata modestia est. Absque fũ-

damento iustitię reperta est humana societas, et nulla litis extitit expers terrena possessio. Corrupta remansit dilectio, vectigalis amica, et ęqui semper ignara. Abfuit à fœderibus veritas, à dictis constantia, et quisquis coactus est fabulis credidisse. Cunctis factum est carnis intolerabile pondus, mancipata est sẽsibus ratio, et habenis arbitrij spoliatus est animus. Tunc terras oppressit sęculum graue, nulloque in statu sedit deinde secura iucunditas. Iucundum videri quid poterat, si defecerat virtus? Statim ac vsurpauit calliditas sapientię gloriam, nocitura parauit, et uisum est vniuersorum exitium. Merces adhuc in portu subiere naufragium, et etiam sub arista segetes ceciderunt.

Fides ab animi candore progignitur.

NIhil est in homine speciosius fide; quæ non quęritur foris, sed intus. Ab animi candore progignitur, et quoties tenebrosus est animus, esse conscius fidei nequit. Inops, et pauper est animus fide carens: præditus tamen fide thesaurum deprehendit abscondituum. Quicunque unam hanc possidet, alio virtutum non indiget ornamento. Radijs circumcingitur ueritatis, et splendet ex omni parte spectabilis. Purior niue, fulgidior auro. Stellarum pulchritudine maior est, et Solis luce minor nõ micat. Nullo potest eclypsi deficere: tenebris nullis obscurari ualet. Questus non optat, et opibus abundat; immensis

Sceptra non ambit, et perpetuo decoratur imperio.

Fides nullibi reperitur

QVam in nobis ipsis introrsum non inuenimus, incassum extrorsum in alijs exposcimus fidem? Cernimus nos ab intellectu destitui, quando sub specie ueri decipimur. Quando præteritorum nos capit obliuio, memoriam experimur infidam. Quando agimus malum, quod nolumus, voluntas nos prodit. Quis est, qui in honore constitutus intelligat, et iumentis non comparetur? Quis principiorum suorum est memor, ut confusionis sit expers? Quis est, qui desiderijs carnis resistat, ut carni non mancipet voluntatem? Omnes animę facultates contra nos ipsos agnoscimus perduelles. Fluctuat intellectus ambagibus, et languet naufraga cogitatio. Viuas aduersorum memoria repræsentat imagines, et extenuatur opinio. Affectuum violentijs cedit uoluntas, et actionum feriatur electio. Fallimur quocunque nos rapimur. Nihil est tutum in mundo. In procellam vnaquæque tranquillitas desinit. Blanditiæ qualescunque fouent insidias. Plerumque prosilit è floribus anguis. Sępe latet sub osculis mors. O quot defectus obseruantur in astris! O quot præstigiarum, et fraudum plena sunt elementa!

Fides incerta omne facit incertum.

VBi fides certa non est, incerta sunt vniuersa. Deficiunt iura sanguinis, et suspicionibus abundat affinitas. Ligant nihil amicitię vincula, et caret religione societas. Nullam seruant fœdera uim, et claudicat omnis ordo. Non est amabile nomen pacis, et nescia doli non est concordia. Prodeunt è conuiuijs neces, et latent in theatris insidię. Abest ab operibus firmitas, et opinione ducitur animus. Rapitur huc, et illuc, et diuersis secum pugnat affectibus. Minuitur, et augetur. Inops aliquando consilij pauet: nonnunquam affluens coniecturis exultat. Suffusus caligine dubiorum facultatem electionis agnoscit incognitam. Hęret anceps inter falsum, et verum, nec voto scit cedere, nec rationem includere. Aduertit interna non congruere externis, et quod existimat magnum, experitur exiguum. Perturbat lumina tenebris, et alba non distinguit ab atris.

Natiuitas hominum una est.

VNa est natiuitas omnium, et omnes excipit eadem tellus. Omnes una teguntur carne, et omnes, priusquam ad laborem, nascuntur ad lachrymas. Nulla est inter lachrymas claritas: nulla est ante laborē nobilitas. Auorum uel lux, uel obscuritas, nec prodest, nec obest. Aliorum meritis quis intumescet? Aliorum flagitijs quis erubescet? Flores odôre non gloriantur extraneo: Sidera inter tenebras noctis non mœrent. Non spectat ad

se, quod est extra se. Opus sequitur operantem, non aliter, quàm umbra corpus. Stultorum est alieno extolli, et superbire prǫconio: alieno frangi, et demitti dedecore. Nisi de suo, nulli conuenit nec gloriatio, nec opprobrium. Ex gestis, aut malis, aut bonis adipiscitur quisquis, vel laudem, vel ignominiam. Prǫdiorum, diuitiarum aditur hǫreditas, non virtutum, nec vitiorum. Prǫter bonorum hǫreditatem, à maioribus nihil transfertur ad posteros.

Homines sunt arbores ambulantes.

ARbores in mundo ambulantes sunt homines: sed aliǫ sunt bonǫ, aliǫ malǫ. Fructus boni non expectantur è malis, et fructus producere malos nequeunt bonǫ. Vitis quǫ Christus est, sustinent bonǫ, et secus decursus aquarum fœcundǫ sunt semper, agunt radices in cœlo, et affluunt fructibus gloriǫ. Referunt ficulneam Euangelij malǫ, quǫ terram inutiliter occupant, et plenǫ sunt tantummodò folijs; vndequaque ramos extendunt ambitionis, et vmbrarum pompa contentǫ sterilescunt in pratis. Bonǫ nec ferri, nec ignis, nec Aquilonis, nec Euri formidat iniurias, et dies, et menses enumerant vberes. Malis cœli rorem non dant, aduersa sunt cuncta elementa, et populi prǫtereuntis saxa non parcunt. Bonarum Deus agricola, et custos est; quǫ siuè per montes, siuè per valles incedant, immensum suauitatis immittunt o-

dorem, et fide florescunt ęterna. Malarum inseruator est Dęmon, quarum fœtor totum inficit orbem terrarum, et nunquam fidei germen proferre valent.

Labor est vita humana, non vita.

INcipit lachrymis, et desinit vita suspirijs. à cęcitate principium mutuatur, et finem. Labor est, et vitę nomen usurpat. Vmbratilis, delicata gliscit angoribus, et perseuerat ęrumnis. Pendet leui suspensa filo, et semper securitatis est expers. Ante oculos semper habet, quod timeat. Subiacet imperio temporis, quo nihil incertius. Intra vnius sęculi fines captiua languescit. Vapor est, apparens ad modicum. Ambulat instar somnij, et vanas repræsentat imagines. Cùm felicior, tùm proximior morti. Mendax est quicquid, pręter cinerem, fingit. Fallit, cùm largitur honores: decipit, cùm promittit applausus. Omni optabili bono miscet aliquid mali, et omnem mundi felicitatem ad ludibrium aliquando vnius horę momento conuertit. Veritatem dũtaxat abscondit sub cinere, cuius cęmento humanitatis ruinas euertit, et immortalem in cœlo sibi ędificat mansionem.

Quandiù viuitur, militatur.

MIlitia est vita hominis, et sanè tandiù sumus in castris, quandiù viuimus. Insania est, mansionem collocare perpetuam,

ubi futura breuis est mora. Quis profusè non rideat, si domorum fundamenta in exercitu iaciantur? Ante hostium muros nemo sapiens manentes sibi prouidet voluptates. Vndique, apertè, et palam intercludimur inimicorum insidijs. Etiam inter domesticos nanciscimur hostes, et intestinis difficultatibus laboramus. Sudat iuuentus sub galea, et in tuto canities non quiescit. Omnem ętatem, omnemque statum perturbat bellorum timor. Sępe sub initio ueris tubarum clangor non allicit somnos, et sub frigoribus hyemis calor armorum ęstuare non desinit. Sublimia turrium mœnia nequeunt prępararc quietem. Alibi, non in terris expectanda nobis est pax. Mundi vicissitudines vitę suauitatem non alunt. Qua fruemur lętitia, cùm cardines terrę tremiscunt, et æquantur ędificia solo? Quam concipiemus fiduciam, cùm syluas à uentis aspicimus denudatas, et depopulari flumina campos? Formidinem excitat obscuritas aeris. Infensa sunt otijs tonitrua, fulmina. Omnem locum occupat mors, et rerum vniuersitas expectat exitium.

Sęculum pręsens fidem non seruat.

HOdie fidem fallere, res omnibus usitata. Corruit sanctum amicitię nomen, religionis atratus est candor, abscissa sunt sanguinis iura. Occupant uniuersa terrarū confinia fraudes, et doli. Propinquitatis, coniunctionis, necessitudinis dissoluta sunt vincula.

Hominibus mitiores sunt ferę, molliora sunt saxa. Semper agitur contra fœdus, et cōditionum instituta non durant. Fouet iusiurandum insidias, et prosilit ex osculis mors. Bonorum auiditas, et dominandi libido probitatis honorem ablegarunt à mundo. Omnes perdidit aurum, omnium corda deuinxit ambitio. In incerto diuitiarum quorumcunque spes est. Vnusquisque primatus cupiditate correptus insanit. Opum ingluuies amicorũ fastidit suauitatem, diuinum obliuiscitur cultum, agnatorum conculcat affectus. Honorũ insaturabile desiderium, beneuolentiæ vota pessundat, nullos pietatis admittit radios, cũctos affinitatis excludit nexus.

Vno flagitio nemo contentus.

DEprauati sunt hominum mores. Vnumquęque iustitię cepit obliuio, et declinat vnusquisque post auaritiam. Regnat improbitas, exulat virtus. In minora delicta lex admodum strepit, in maiora penitus silet. Mapaliorum punitur fur, regnorum, et ciuitatum euersor triumphat. Gloriam resonant sacrilegia, sunt in honore crimina peculatus. Exultant, cùm malefecerint impij, floccifiunt veritatis interpretes. Iura statuit vis, consilia præcipitat impetus. Vno flagitio nemo contentus. Non est inscius furti lasciuus: Nil audet sine cęde superbus: compos perduellionis est helluo: pollet proditione sicarius, cũctis sordibus obsolescit auarus. Catenatus in-

cedit

cedit vitiorum exercitus. Accedunt omnia, si vni vitio datur locus. Vno vitiorum admisso, tota repente corrumpitur mens. Quid poterit prorsus accidere boni, quando corrupta mens est? Latet omnis boni cognitio, et rectè viuendi non intelligitur ratio.

Voluntas obstinata peccandi existimat necessitatis, quod est consuetudinis.

OBstinata peccandi voluntas, nec legem, nec fidem agnoscit. Preceps ruit in peius, et gaudet videri rebellis, et cõtumax. Temeritate progreditur, et presentibus futura non comparat. Superbię partus non obtemperat rationi, et in errore versatur exultans. Odit modestię grauitatem, et non erubescit veritatis euertere propugnacula. Cogitationibus adolescit prauis, ciuiles excitat controuersias, et ex absurdis argumenta deducit. Quicquid semel senserit criminosum, adhuc pertinaciter appetit, et necessitatis existimat, quicquid consuetudini paulò ante detulerat. Vitia conuertit in mores, et iucunditatem comprehendit in turpibus.

Trahit omnes uoluptas.

VNusquisque suo abundat in sensu, et trahit sua quemque voluptas. Ab vnoquoque laudatur præsens, futurum inquirit nemo. Corruptibilibus mundi pascuntur õnes. Venturi sęculi non percipitur gloria. Magnifiunt

cadu-

caduca terrarum, et immortalis uitę conditio paruipenditur. Vniuscuiusque sensum terrena inhabitatio deprimit, et filij plerunque spei transeunt in filios diffidentię, multique ex filijs effecti sunt canes. Vniuersi se mancipant libidinum lenocinijs. Quis non currit velociter ad nundinas voluptatum? Cunctos piget flores terrę commutare cum stellis. A' nemine in terris perdi vult anima, vt inueniatur in cęlo. Viuitur temerè, et fortuitò. Inter ineptias regit fortuna consilium, et nulla seruatur in actibus rationis ęqualitas. Absunt à cordibus omnium grauitatis, et constantię merita, nec deficiunt menti carnifices, quando affluit lingua flagitijs.

Voluptas peccatorum origo.

NIhil est tam detestabile, tamque pestiferum, quam uoluptas. Peccatorum origo criminum fomes est, omniumque malorum est mater, et sub modico mellis multum abscondit ueneni. Semper sui fame pulsatur, et perpetuis alimentis nescit impleri. Impedit contraria rationi consilium, mentis perstringit oculos, et nullum habet cum uirtute commercium. Comites sibi tantum admittit ebrietatem, et luxum. Euertit propugnacula spiritus, et animi sincera confundit. Spargit odores suos, et Christi suauitatem odoris remouet procul. Finitima infamię comparatur dolore, et causas relinquit potius pœnitentię, quàm memorię. Nocet, et fallit. Coro-

uas

nas deliciarum inhibet ueras, et exhibet falsas. Quietis sedem promittit, et perditionis aperit viam. Grauiter lędit, quando ualdè blanditur. Suauitatem plerunque conuertit in morbum, et gaudia semper commutat in luctum.

Fides sępe naufraga est in conuiuijs.

DEficit in conuiuijs sępe naufraga fides; quando relicto consilij clauo fluctuat intellectus, et Sole veritatis adempto aer mensę coit in nubila corruptelæ: quando amittitur cynosura iustitię, et allidit ad scopulos disciplina. Nullis alibi iactata periculis, inter epulas frangitur, terręque, pelagique superstes inter calices mergitur. Stridet repentè tempestas, et arcus fœderis non coruscat. O' quę procellę efferuescũt in dapibus! Hinc carbasa voluptatum discinduntur in partes, et remigium hęsitat rationis: Illinc spumant crudeliora ponto falerna, et virtutũ anhelant interitum. Opus tenebrarum est gula, ad cuius impetum fatiscit animi firmitas, et tabula pœnitentię in promptu nõ est. Quoties crapula grauatum est cor, omnis obruitur virtus, et petitur frustra præsidium, si abstinentiæ salutaris delitet portus.

E' verbis sumitur conscientię testimonium.

CVm recto mores non congruunt, si ab honestate locutio discrepat. E' verbis sumi-

sumitur conscientiæ testimonium. Verba, quæ Christi iugum non sonant, et statera iustitiæ non probantur, candorem inquinant animi, et mysteria violant charitatis. Verba semper extrinsecus prodeunt inquinata decore, nisi intrinsecus lateant innocentiæ meliora. Interioris hominis grauitas exteriorum insignia promulgat affectuum. Diminuta veritas intus, sensus foris non explicat integros. Vt æs tinnitu, ita quisquis sermonē dignoscitur. Interpres mentis est sermo, qui dum percutit aures, animum vulnerat audiētis. In simplicitate verborum perspicitur ingenuitas. Non abest à multiloquio deprauata calliditas. Quicquid diù congessit cor, paulatim eructat os. Si vitia putrescunt in corde, virtutum odor in ore non fragrat. Venenum aspidum non natat in labris, si multitudo serpentum non occupat viscera. E' pessimo viscerum habitu proficiscitur linguæ malesana garrulitas.

Periit fides cum moribus, cum iure, et cū decore.

MOres, ius, decus, fides iam periere. Corruptionem sapiunt mores; ius est in armis, turpitudinem induit decus, violata est fides, et in discrimen est adducta religio. Nulla est in moribus claritas, si disciplinæ non congruunt, et modum non seruant. si prodeunt simulationis amictu, et pessimi sensus innituntur exemplo. Quis locus, quæ regio,

quæ

quæ æquitatis luce fulgescat, quæ legum nō fraudetur honore? Vbique furit iniquitas, vbique bacchatur iniuria. Honestatis occidit ornamentum, et laudabilium operum magnitudo non viget. Adoleuit in terris potentior fraus, quæ personata colore virtutis virtutes interficit. Inhumanitas mentes hominum occupat. Probitatis cecidit honor, cùm in honore cępit esse pecunia. Contemptus est animi candor, vbi auri pallor de Solis lumine triumphauit. Derelicta est mentis integritas, vbi scoria argenti Lunæ claritatem infecit. Solem quilibet audet dicere falsum: Lunam quilibet negat testem in cœlo fidelem. Sanctitatis nomen iam versum est in insaniam. Vilis est conscientiæ gloria. Frigescit fides, et charitas ordinata non præualet. Virtutes carent munere spei, et in moribus disciplina non est. Pecuniæ obediunt omnia. Hominū simulacra sunt argentum, et aurum. Animos iudicum diuitiæ diuidunt. Voluuntur à nūmis dominantium voluntates, vrget denarius populi voces, vniuersorum corda sitis habēdi peruertit.

E' fide spreta uenit calamitas.

EX quo spernitur fides, fortunæ insolentis arbitrio subditur mundus. Æternum in terris agnoscitur nihil, et multimodis vnumquodque rapitur casibus. Quicquid oritur, interit, quicquid vnquam surrexerit, occidit. Dies truditur die, et pertinaciter malum ruit in

it in peius. Nubes obsident annos, et tempestatibus sæcula funestantur assiduis. Ineluctabilis equitat fato calamitas. Euersis iacent turribus castra, et vrbes, et populos occupat cinis. Ex improuiso auri corona commutatur in spinas, repentè decus imperij euanescit in fabulam. Quem fugit lætitiam illam, quã protulit Phosphorus, identidem enecatam ab Hespero? Iustitiæ vias ire non libet, à mentibus hominum exulat pudor. A' patre degenerat filius: auorum laudes non sequitur nepos. In tot flagitijs expallet Luna, horret tot crimina Sol, et nigra tegit ferrugine caput. Tranquillos agere menses dediscit Ver, nescit æstas flauescere aristis, producere poma negat Autumnus. Ad pugnas hyems prouocat elementa. Nullibi fides, nullibi pax.

Fidei, et vtilitatis pugna.

PVgnat cum vtilitate fides, sed rarò vincit. excæcat omnes vtilitas, omnes sensibus orbat. Adeò hominum infatuata natura est, vt profuturas credamus nil leges, nil pœnas. Formidinis ergo quid flagitiorum relinquitur intentatum? Colitur Deus, quousque sors rideat. Pietatis officia placent, ni regni restringantur habenæ. Manus non extenduntur ad furta, si plena sint horrea. Ferrum cruore non calet, si paternæ vineæ sufficiant fructus. Legibus paretur æternis, quoad nõ repugnat vtilitas. Proh pudor! qua cura, quo studio conculcatur honestas, paruipenditur ingenui-

genuitas. Quisquis proprio allicitur commodo, et virtutum respuit dignitatem. Decoro colorat nefas, subditque verum mendacio. Lucri captus amore obliuiscitur rationis, et dedecus putat iacturam, nec secernit ab infamia quæstú. Dolet plus damnum, quàm turpitudinem. Insatiabilis est oculus cupidi. Fortasse scit omnia reginæ obtemperare pecuniç.

Pax inter virtutem, et sortem rara est.

INter virtutem, et sortem rara pax est. Illa abhorret à turpi, et imperat animo: Ista turpibus inhiat, et sensibus seruit. Illa diligit lucem: Ista versatur in tenebris. Illa floribus honestatis ornatur: Ista vanitatis intumet indumentis. Illa stabilis semper, et certa nunquam mutat aspectum: Ista inconstans, et varia Lunç vicissitudines imitatur. Illa nulli dat nimis: Ista cunctis largitur satis. Sors sapienti non ridet, quia sapiens inconsultè nil agit. Fortunatum raro sequitur virtus, quia fortunato inimicus est labor. Clamat virtus ad omnes, doctrinam magis, quàm aurum eligite. Mea est prudentia, meum est consilium. Ignauas expello, et animi serenitatem impertior. Dulcis sum, cui suauis est gloria: ardua, cui deformis est veritas. Ipsa ego immortalitatis sum radix, à qua procedit donorum varietas, a qua prosilit gratiarum vbertas. Maiori clamore Sors personat, Vniuersi sequimini me, si ad rosarum coronas vos voco. Honores, et dignitatum insignia tribuo, et voluptates, et

otia

otia non remoueo. Libet ludere in orbe terrarum, nominor cęca, et oculis intueor Argi. Mutationum amica equito super rotam, sed quos semel extuli in altum, iterum ad meliora reducere non indignor. Quisquis assumat, quod sibi putat vtilius. Clarum est primam non fallere, secundam decipere nō est dubiū.

Anima fide carens iura diuina, et humana contemnit.

OCcupatur repentè veterno anima fide carens, et falsis agitata consilijs desipit, fallitur, errat. Profundo correpta somno religionis oblita somniat vanitates. Vęsano succensa furore os ponit ī cœlum, et iura diuina, et humana contemnit. Suo ipsius decepta fastu respuit disciplinam, et auri sequuta pallorem post tenebras ambulat. Æqui denia prauos cōcipit sensus, et confusionis operitur opprobrio. Pręnunciat mortem infirmitas fidei, imbecillitate virtutum exanimat corpus, tenuitate spirituum interficit animum. Nulla spes adest salutis. Nigrescit lingua, et membrorū extrema frigescunt. Titubat cor, et oculi recta non vident.

Discedens à fide, statim ruit in omne scelus.

EX improuiso fit pessimus, qui discedit à fide. Statim obliuiscitur sui, et vas iniquitatis euadit. Ad turpitudinem morum adiungit

git iniustitiam operum. Quale nefas non appetit, qui vertit terga equitati, et in scelera labitur? Quale facinus non attentat, qui iura frangit pudoris, et in sanctimoniam petulanter inuehitur? Furijs infremit agitatus, et cęcitate correptus abhorret à ratione. Arrogans frendet, inflatus superbit. Incredulus, contumax religionis contemptu mendacij sermones ostentat, et tenebris errorum circumdatus, humanitatem exuit omnē, et obdurescit ad malum. Optat quodcunque nocet. Simul ac deficit fides, perfidia pullulat, et personata pacis amictu crudeles molitur insidias. Cunctos adornat fraudibus actus, et imbuit lenitate flagitia. Quemcunque perturbat locum, vbique excitat maleficia, et secū ducens coloniam vitiorum, venena mortis vndequaque diffundit.

Impius conscium timet, non conscientiam.

Conscium timet, non conscientiam impius, et vacat à culpa terrore pœnę, non studio probitatis. Accusatorem foris formidat in foro, non intus in corde, et abstinet manum formidine iudicis, non animum à sceleribus. Desineret nunquā delinquere, si posset delinquere semper impunè. Si testis adest, furari non audet. Abdomini indulget, si neminem intuetur. Differt fucatus pudor, non aufert libidinum turpitudines: immò quem aliquando suspendit à crimine, reddit ad crimen audiorem. Ei, qui gradum ex nequitia

profert, recursus ad honestatem semper est æger. Nulla pudoris est ratio ei, qui torpuit semel in sordibus. Recti magister infidelis est metus. Officia diuturna non docet. Conterit ossa, sed vestimenta candoris non induit. Alas pedibus addit, sed brauium non comprehendit. Interpres innocentię non est, et iustitię corona caret. Omnes suspicione constringit sensus, consilia diripit, et finitimus ægritudini totum corpus exagitat.

Fidelis nec pauet, nec cupit.

INfidorum est, plusquam decet, aut metuere, aut concupiscere. Causas trahunt, aut de cupiditate, aut de timore vniuersa facinora. Nimio concuti metu nequit animi candor: immoderata flagrare cupiditate nescit puritas cordis. Spectat ad perfidos nolle vitam cum laude pacisci, uelle populi votis ambire honorum insignia. Inopinatam mundi ruinam ignarus flagitiorum immobilis excipit: conscientiæ tranquillitate contentus bonorum exteriorum sibi parare nil curat. Intrepidus it per ōnes inuidiæ fluctus, fatique aduersi procellas non horret. In arcem fidelis pectoris fortuna non audet inuadere. Ridet fidelis quoscunque molitur stellarum aduersitas impetus. Bene conscius sui quietem intus custodire conatur, foris nec cupit, nec pauet. Nemo pauidus, nisi pessimus, nemo cupidus, nisi perfidus.

Animę

Animę uitia prǫmonstrantur à uitijs corporis.

VItia corporis referuntur ad animę vitia. Nomen vsurpat amentię surditas: vocũ proportionem non sentit, et expers est fidei, quę auditu maximè constat. Afflatũ nõ audire Spiritus sancti censetur, quando hominum non audit affatum. Oculorum significat lęsio declinationem à iustitię semitis. Non est in corde simplicitas, si oculus simplex non est. Prę́ceptum Domini lucidum illuminat oculos. Nares corruptę odorem nõ hauriunt ueritatis, prauis alliciuntur illecebris, confunduntque meliora cum pessimis. Pedes affectuum indices, si nutant, si claudicant, animi motus nutare, et claudicare præmonstrant. Lauantur pedes, ut vestigium imprimant lucis. O' quas in vultu detegit ignominias color! Fouet insidias pallor plumbeus: Furoris impetum explicat rubor. Prę́monet albedo socordiam: Impietatem ostentat nigror.

Speculum mentis est facies.

LIcet in vultu depictam agnoscere, vel probitatem, vel fraudem. Sapientia hominis lucet in vultu. Speculum mentis est facies, et quicquid intus occulitur, apertè demonstrat. Morum portendit integritatem serenitas frontis, obscuritas impietatem. Indecens oris, et dentium compositio peruersos prænuntiat appetitus. Loquaces sunt oculi, et

impenetrabilia taciti cordis fatentur arcana. Prodit crimina pallor genarum. Nares obtortę gressus non indicant rectos. Gelasinus in labris, uanitatis est index. Supercilij tumor, argumentum est arrogātię. Sicut è cœlo tenebris obsito, imbres, nymbi, procellę, tonitrua, turbines prænoscuntur: ita è vultu tenebricoso pręsagiuntur ærumnę, calamitates, maleficia, scelera, turpitudines. Prout cœlū à cœlo, perinde differt vultus à vultu: aliter, cùm nigrescit: aliter, cùm serenat. E' fronte, quę candicat lilijs, arguitur actionum amœnitas. Referunt pacem oculi columbarum. Mala punica, quæ rubescunt in malis, charitatis promulgant ardores. Fauus ab ore distillans pluuiam excitat gratiarum. O' felicem animum illum, cui tot adsunt internæ pulchritudinis signa! Non tantummodò terræ, sed etiam cœlo vim facit. Illicò sponsus diuinus amore languescēs, exclamat, non est in te macula, veni ad coronas. In vno oculorum tuorum vulnerasti cor meum.

Animi repræsentat imaginem sermo.

PAtet hominis ex sermone character. Animi repræsentat imaginem sermo. Magnum pondus iactat oris oratio. Beatitas est, verbo non excidisse, et ori posuisse custodiā. Mors, et vita in manibus linguę. Vana est religio linguam non refrenantis. Statera probandum est verbum. Ex vno verbo pluries ignis exortus est maximus. Pluries vna vox

uniuersum confudit. Scientiam uocis quis unquam negabit? Vox si personat moderata, fidelem ostentat: si strepit immoderata, præmonstrat infidum. Indicat elata superbum, demissa vilem. Refert violenta seditiosum, languida ignauum. Dulcis veneno non caret: Aspera temeritatis expers non est. Musicę si lineas, vel super, vel subter excedit, semper est vitiosa. Mutuatur à silentio gratiam, et opportuna semper est grata.

Fides decorum quęrit, non pulchrum.

PVlchrum fides non postulat, sed decorũ. Quod decet, inquirit, non quod delectat. Quod decet, est honestum, et expedit. Quod delectat, aliquando cum lege non conuenit. Ad corpus pertinet pulchritudo, ad animum decor. Illa multis obnoxia casibus: iste nullis implicatus molestijs. Illa fallax, et vana, aut floris, aut fœni nitescit ad instar, et morbum formidat, et vetustatem: Iste concolor recto sanctorum splendoribus coronatur, et nisi virtutum ornamenta non patitur. Vni tribuitur ab oculis admiratio: alteri ab intellectu exhibetur obsequium. Quantò est oculis pręstantior intellectus, excellentior est pulchritudine decor. Non est dignitas, vbi honestas non est. Languet sine honestate nominis amplitudo, honestoque detracto nullam continet vim maiestatis authoritas. Omne fas, ómnis laus hęret in honestate.

Fides non est, vbi pulchritudo.

SI res fugax est forma, fides, quę stabilis est, esse non potest in forma. Fidem calamistra non iactant: siquidem mendaci caput tegitur coma. Labilis illa ancipiti floret statu, et prętериens instar vmbrę, exigui temporis breue dicitur donum. Immutabilis ista, fundamento innixa perenni, ad certas honorum coronas aspirat, et immortalitatis expetit gaudia. Vt luceat illa, mendaciorum utitur fuco, et deficit inter ærumnas. Vt fulgeat ista, colore virtutum ornatur, et maximoperè crescit inter angustias. Illa rarò concors cum animo, ruinam parat: Ista nunquam ab animo distans, glorię pollicetur triumphum. Illa lumine radians oculorum, prouocat sensus ad lapsum: Ista splendoribus sanctorum, refulgens, ascensiones disponit in corde. Nexus, quos illa capillis instituit, meditationibus ista dissoluit. Vbi statuit una in fronte, pręstigias, altera collocat innocentiam. Quę sunt in vnius manibus vincula lenocinij, sunt in alterius vincula charitatis.

Vestibus corpus ornatur, non animus.

VIrtutum dignitas vestiũ ornamentis nõ eget. Virtutes appositè sub quauis colũtur ueste. Postulantur insignia laudum, cùm deficit gratia meritorum. Phalerę generosiorem non faciunt equum. Arma lucentia militem

tem robustiorem non reddant. Intus latet in pectore, quod est in homine pretiosum. Hominis pretiosa supellex, sanctorum scientia, est, quam nocti nox indicat, quę fulgentior adfuit, quando præparati sunt cœli: quando certa lege, et gyro vallati patuerunt abyssi: quando sursum firmatus est æther, astrictę præcepto sunt aquę, et appensa sunt fundamēta terrarū. Vestes, monilia, gemmę pondera adiungunt ad artus, animę verò formositati nil addunt. Tollunt, quę sunt naturę, et oculos intuentium fallunt. Veritatem prętexunt commentis, vt captent in mendacio fidem. Explicant vexilla superbię, et afferunt incrementa luxurię. Arguitur è mollibus indumētis animi delicata mollities. Sępe sordida vestis est candidę mentis indicium.

A' lino, quod homines induunt, animi apprehendant candorem.

AVt lini amictum, Mortales, exuite, aut nigram vitiorum è cordibus deponite supellectilem? Nefas est foris amicire membra simplicitatis uelo, quando intus absconditis in visceribus affectuum chaos. Hominis corpus indusio lini inconsultè non tegitur. Magnum incrementum virtutis animus hominis apprehendit à lino. Euellitur linū è terra, non metitur. Ad candorem aspirat, et radices in terra remanere non patitur. Vndis traditur corrumpendum, et lapidum offensioni succedit. Munditiam mutuatur ab undis,

et discit à lapidibus fortitudinem. Acutissimis tunditur clauis, et adhuc lignorum iniurias postulat experiri. Pœnas a cunctis elementis exposcit, et semper patiendo fit melius. Netur, et texitur, et rursum uexatur incommodis, sed quantò afflictius, tantò candidius. Concipite ergo mitiora consilia, et ab interiori exterius non dissideat testimonium? Linum, quod tineę morsus non fert, quo pacto latitare dissimulabit serpentes in pectore? Scelerati serpentes sunt vitia, lethifero quorum intuitu tota nigrescit corporis moles, et insanabili vulnere deperit animus.

Quod maius est, quàm oporteat, ærumnosum, et fallax est.

NEc affectatę sordes, nec exquisitę munditię conueniunt Christiano. Amica simplicitatis veritas est, inimica mendacij. Nimia munditia corporis, est immunditia animę. Cùm facies purpurisso, vel cerussa resplendet, mens probitate non lucet. Vitio addicitur quicquid est nimis: tenendus est in omnibus modus. Congruit modestia modo, et aliquando est plus toto dimidium. Loco pendet instabili quicquid mediocritatem excedit. Omne, quod maius est, quàm oporteat, ęrumnosum, et fallax est. Sanctissimum humani pectoris bonum est fides, nequit fallere, nescit corrumpi. Ratione compescit affectus, mensura recti constituit sensus. Naturam hominum fides accommodat disciplinę, sine qua

qua plerunque tendit ad malum, sine qua sẽper est cęca.

Fidei ornamenta contemnuntur ab ignobilibus.

EX infimo genere nati fidei ornamenta despiciunt: gloriam ab ignominia nõ distinguunt. Tanquam cęci existimant speculo non egere, et tanquam stulti stultos iudicant omnes. Amicitiam pretio violant, ambitione societatem incestant. Quęstui mancipant nomen, et sanguinem. Innocentię luce non candicant. Vias mandatorum non ambulant, et negotiorum naturam inficiunt. Propinqua est ignobilitas seruituti. Pessimis imbuta moribus seruitus est. Virtutis prœmia negligit. Insidias moliri gaudet, infamięque studijs vacare non cessat. Nunquam, vel rarò inuenta est in seruitute ingenuitas. Habendi sunt instar hostium serui. Cupiunt cunctas ad horas nobilium famam, dignitatem, et bona dilaniare, polluere, et clepere. Quando seruus sensatus est agnitus, si omnes dolosè uestiti duplicibus, uentri seruiunt, et non Domino?

Suspecta sunt seruorum ingenia.

QVot sunt serui, tot hostes. Non est à natura, sed à iure gentium seruitus cõstituta. Aduersatur libertati naturę mercenaria seruitutis administratio. Pręstat potius emori, quàm seruire. Nihil est fœdius seruitu-

te, si

te, si postremum malorum omnium seruitus est. Animę partem aufert, si voluntatis adimit actus. Expers beneuolentiæ docet mendaciorum doctrinam, et ueritatis eliminat sacramenta. Virtutum supellectilem paruipēdit, et vitiorum amicitur ornatu. Semper suspecta seruorum extiterunt ingenia. Post multos etiam annos nequeunt lupi induere formas agnorum. Rarò ferarum genus mansuescit ex integro.

Cum socero, et cum affinibus nulla fidelitas.

NEc fidendum est socero, nec credendū. Paternitas soceri, non est vera paternitas. Semper cum genero soceri suspecta societas. Firmum fœdus sanciri non potest, inter quos obses est mulier. Mulier omnium malorum origo, quam constituet inter homines pacem? Non est amica fidelitatis affinitas. Ortum non habet ex sanguine, sed è verbis, et conscia non est fidei, nec amoris. Quis amor, quę fides ab affinitatis coniunctione manabit, quę pręter vtilitatis emolumenta nil meditatur? Odore non allicitur sacramēti, fructu benedictionis non gaudet. Omne consilium peruertit habendi cupiditas. Charitatem extinguit omnem fallendi scelerata libido. Prodit vltrò dissimulatio, et surgit ūdequaque calumnia. Statim abest sinceritas, vbi adest affinitas. Suaptè sequuntur affinitatem fraus, et dolus. Hac de causa inter necessarios

sarios

ſarios non numerantur affines, quia inſidiatorum nulla neceſſitas.

Nec miles, nec aduocatus eſt fidus.

SIuè in campo, ſiuè in foro nulla candicat fides. Amittitur probitas inter arma, deficit inter cõtrouerſias veritas. Crebrò militię ſequax pietatis eſt inſcius. Sępe iuris interpres rationis eſt expers. Ars bellandi integritatem non docet. Cauſa contentionũ quietem non parit. Difficile eſt aptare manus ad ſanguinem, et à candore morum non declinare. Incredibile eſt inhiare pecunijs, et animum non corrumpere. Qui caſtra ſequuntur, nec ſcutum fidei, nec galeam ſalutis aſſumunt, vt opera tenebrarum abijciant. Lites ſuſcitat peruerſitas animorum, nec expectari pax licet, ſi discordiam alunt mendacia, et ſingulis contendentibus inimici ſunt iudices. Vtrobique certatur, et certaminis ſemper euentus eſt anceps. Vtroque in loco manifeſta rapina eſt, et vires valentiores appetit arrogantia. Hoc tantummodò differunt: in uno diſcerpitur hominum vita, in altero laniantur hominum bona.

Monſtrum improbitas eſt.

VArium, et volubile monſtrum improbitas eſt. Nunc fremit, nunc furit: Nunc fouet inſidias, nunc inſidiarum euomit uirus. Nunc virtutum induta colores pręeſſe cupit:

nunc

nunc actiones imitata maiorum ostentat animi turpitudines. Nonnunquam facilis, interdum immitis. Nonnunquam oculis blanda, interdum tumida supercilio. Modò conscia temporum prudentiam simulat: modò nescia morum ad interitum ruit. Nihil solidi, nihil firmi præmonstrat. Fidem sine clade non frãgit, amorem sine dolo non fingit. Semper liuida aliorum meditatur ærumnas, et quicquid obstinat, destinat. Semper mentitur, cũ loquitur, et delectatur stare mendacio contra verum. Debilis est, et fortitudinem sibi uendicat. Deformis est, et gloriam sibi formositatis ascifcit. Hoc uno vexatus monstro agit mala tempora mundus. Supplicium statuitur, antequam causa noscatur, et nulla stat pro bonitate tuitio, nisi patientia, et taciturnitas.

Vitium cum uirtute congruere nequit.

VT ingrata est probitas improbis, ita molesta est sapientia stultis. Innocentiam criminosus insimulat, doctrinam indoctus accusat. Si doctus affatur indoctum, alloquitur dormientem. Datur canibus sanctum, si probus communicatur cum improbis. Tenebris lux placere non potest, vitium cum virtute congruere nequit. Probi gaudent honesto: appetunt improbi voluptates. Audit salutis consilia sapiens, uitę libertatem affectat ignarus. Proborũ census est fides, et gloria. Patrimonium improborum est vanitas, et infamia. Potius ignis concordat cum aqua, et à

cœlo

cœlo terra non distat, quàm improbus cum probo conueniat, et stultus à sapiente non discrepet. Probus in carne non habitat, et terrę sapiens non inhæret.

Nec fidèm, nec consilium vulgus agnoscit.

VVlgus ad deteriora paratum, nec consilium agnoscit, nec fidem. Ignauum, ignobile, præter verba nil iactat. Disciplinarum impatiens contumeliosè in veritatem inuehitur. Incapax rationis, appetens nouitatis cupiditatibus agitur, seditionibus pascitur. Nullam in rebus adhibet diligentiam, nullum aduertit discrimen in actibus. Cor non habet, et eosdem, quos colit, odit. Nũc miseretur, nunc sęuit, nunc profusum, nunc tenax. Mutatur maris ad instar, modò procellosum, modò tranquillum. Pręsto est omni uento, huc, atque illuc impellitur. Nescit consulere de futuris, et præceps fertur in anceps. Quicquid suadet utilitas, probat. Quo peruenit victoriæ plausus, inclinat. Sensus prudentiæ negligit, et vanitatibus nititur.

Mandata Dei non custodiens, fidem non seruat hominibus.

ERit ne custos humanę fidei, qui superni mandata Numinis nõ custodit? Seruabit vel sanguinis, vel amicitię iura, qui diuini amoris mysteria violare non horret? Pectus, quod

quod gelu perfidiç riget, infirmitatis æstu lãguescit. Necesse est, vt hominum voces non audiat, qui Angelorum monita respuit; vt terræ minora despiciat, qui cæli maiora contemnit. Terræ patrem non amat, qui in cæli Patrem inuehitur. Vincula agnationis non sentit, qui nexus dissimulat charitatis. Ingenij vanitas si instituta non suadet decalogi, virtutum non implet officia. In corde, quo residet Crux, candescunt lilia morũ. Labra, quæ Dominum laudant, verba loquuntur vitç. Deficit sors, quando deficit gratia. Quando Babylon poterit fieri Hierusalem? Corui, cantum, vt Columbç, non faciunt. Vultures nunquam in Turtures transeunt.

Bonorum exiguus, malorum infinitus est numerus.

MAlorum in terris infinitus est numerus, bonorum exiguus. Inter tot spinas ordo florum semper est minor. Totus in maligno collocatus est mundus. Epulantur fideles non in azymis veritatis, sed in fermẽto malitiç. Recedunt omnes à bono, et quisquis delectatur operibus tenebrarum. Vniuersorum sensus, et cogitatio conuertuntur ad malum. Sepe, quæ spiritus sunt, fiunt fœdera carnis. Immutabile bonum in carne nõ inuenitur. In qualibet domo uersatur iniquus. Nauis mare non findit, quæ non traijciat obtrectatorem. Non est hominum cœtus, quem non inquinet subdolus. Latent in cubiculis impu-

impudicitiæ: Sonant gulæ calumnias: exhalant atria rixas, et crapulas. Fremit vbique mendacium: sæuit vndequaque rapina. Perturbat negotia fraus: amicitias corrumpit vtilitas. Nullibi sanctitas, nullo in loco integritas morum.

Fides cuique prestetur, sed à quocunque non accipiatur.

PRęstanda fides est cuiq., sed accipienda à quocunque non est. Impiorum inanis est fides. Ingrati fides tanquam glacies hybernalis. Sępe ardorem quis concipit, et stipulam parit. Sępe labra, quę fauos effundunt, postremum abundant absynthio. Homo hominem decipit, et prudentior iudicatur fallendi peritior. Omnis amicus fraudulenter incedit, et tegumentum insidiarum est amicitia. Etiam inter fratres dolosè subripitur benedictio. Fallax est gratia, vana est faciei venustas. Fraudem plerumque sonant verba pacifica. O' quot nequiter humilitatis assumunt amictum, quando eorum viscera plena sunt dolo! Vasa pessima nullis impietatibus carent. Crebrò, quod putatur auxilium, transit in detrimentum. Quis nescit virgam defensionis Colubri aduersantis accepisse figuram, et multoties prosilijsse proditiones è donis?

Potius creditur manuum scriptioni, quàm animorum confessioni.

Tan-

TAntum eſt hodie humani generis corrupta conditio, vt potius manuum ſcriptioni, quàm animorum confeſſioni credatur. Conſcientię verba non probant, quod digitorum ſigna nõ exprimunt. Pluris, quam animus, ęſtimandi ſunt digiti. Animus, qui Dei ſimilitudinem refert, digitorum arbitrio ſubiacet. Fides in irritum ruit. Perfidia patet in omnibus. Delictorum euanuit pudor. Inops eſt fidei, qui ratione non indiget, et participes ſunt conſilij, qui voluntatem non habent. O' conſuetudo peccandi quantam habes authoritatem in improbis! Vbi ſimplices, et aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex inſidijs putabant agendum? Ex inſperato orta eſt in mundo calamitas. Non eſt amor ex animo, ex optimo more diſciplina ſanctitatis non venit! Verſa eſt animi virtus in fraudem, et frequēter opportuni ſunt doli. Probitatis colorem induit turpitudo, et malorum, vel bonorum agnitio ſemper eſt anceps.

Iurans vacat à fide.

ESt, eſt, non, non, ait vir probus. Iurat, qui vacat à fide. Vtitur iureiurando propenſus ad fraudes. Indicium incredulitatis eſt iuramentum. Sedet fides in animo, et non indiget iuramento. Animus ſimplex teſtis eſt fidei, aſpirat ad lucem, et neſcit auidus lucis a veritate deflecti. Ipſe duntaxat cernit, et videt, componit, et diuidit. Ex corporis motu cognoſcitur, et nunquam author eſt culpę, niſi ſen-

si sensibus moré gerat. Robustior viget, quãdo caro languescit. Terrę delicias odit, et inter angustias magis lucet. Nullũ patitur pondus, et cùm intus quiescit, foris nil timet. Æterna sapit, et actus agere generosos lętatur. Vno temporis puncto totum terrarum peragrat orbem. Vbique liber, vbique potens, nec deficit, nec senescit. Fortunę non subiacet casibus, et hominum ridet aduersitates.

Eò perfectior, quò senior fides.

FIdes eò perfectior, quò senior. Non tam facilè deest, quod longo tempore viguit. Agitatur ventorum vi minus arbor annosa, quàm recens. Nisi multos post annos sinceritas fidei non patescit. Inest gratia nouitati, sed non fidelitas. Varios nouitas ostendit euentus, et raro respondent vltima primis. O' quoties, quod delectat, vt virga, perterret, vt serpens! Nihil habent certi primordia rerum. Sępe, quod optimè est ceptum, vetustate paulatim deflectit in peius. Approbat mores diuturnitas temporis. Ex actibus diù repetitis conijcitur habitus animi, tam iniqui, quàm ęqui, tã ęgri, quàm sani Animus tunc deficere nescit, quando fide firmatur antiquiore. In quauis causarum difficultate adaugescit, et tantò veritatem plus sapit, quantò senectuté plus olet.

Supra omnes virtutes est prouidentia.

TAntò quis sapiens, quātò prouidus. Facillimum est videre, sed difficillimum prouidere. Vnum oculis subest, alterum intellectui preest. Vnum visibilia prouocant: inuisibilia spectant ad alterum. Rerum species versantur in vno, formę resident idearum in altero. Sublimiorum ingeniorum est prouidentia. Conuenit cum solertia, et non discrepat à consilio. Præterita meditatur, dum cauet futura. Nec formidat ærumnas, nec habenas laxat illecebris. Prospicit a longè discrimina, et antè ruinam exaltat spiritum. Discit à coruscatione ne in grandinem incidat. Sēper hæret, antequam quicquid agat. Agnoscit in mundo nil tutum, prodire ex osculis mortem, latere anguem in herba, uolitare impune dedecora, et discurrere tutiora flagitia. Existimat stultum sapere serò, et cogitare de fuga post cladem. Frustra censet remedia repeti, quando lethalis factus est morbus. Commendat, quod opportunum est tempori; probat, quod debitum est officio. Hanc rudes, et pessimè feriati non capiunt; qui Solē in benedictione non præcurrentes, nunquam erudiuntur ad disciplinam; qui nullam habētes in sanctorum splendoribus partem, nouissima tentant peiora prioribus.

Prodest Patrię ciuis honestus.

HOnesti ciuis in[illegible]ia nunquam inutile munus. Veritatem hortatur auditu, et verba prouocat ad consilium. Visu culpas expel-

expellit, et iustitiæ lucem inuitat. Profert innocentiam vultu, et detegit cordis arcana. Cupiditates nutu coercet, et virtutum insinuat ornamenta. Enunciat grauitatem incessu, imprimitque vestigia laudum. Huius pes stat in directo, et semel lotus non inquinatur. Sordium alluuionem pertransit intactus, et afflat undequaque suauitatis odorem. Pendet ab huius arbitrio spes tota reipublicæ, in quo recumbit integritas, in quo iura quiescunt. Spirat ab huius vultu maiestas, quę nititur ęquitati, non supercilio. Alios pręcedit industria, non dolo, nec otio. Saluti prospicit aliorum, et sua non quęrit. Huius oculis molestus est fumus, excitat odium vanitas. Huius auditum clãgore funesto vltima tuba perterret.

Conscientia recti famę rumores ridet.

FAllax arbitra sanctitatis est fama. Exit de mendacio fama, et uarijs hominum linguis euentilata prouincias penetrat. Rumor, qui operibus non subnititur, falsus est. Sępe foris est Cato, qui intus est Nero, et putatur quis probus, qui vitiorum abundat exercitu. Sępe quis appellatur insanus, cuius mors pretiosa redolet gloriam. Semper decipit foris pulchritudo sepulchri, si continet intus putidas ossium, et carnium sordes. Rarò vultus concordat cum animo. Aspectus exterior de interiore non indicat. Bonum est curam habere de nominis laude, sed multò me-

lius est, conscientię dignitati consulere. Magna fides conscientiæ tota secreto, cęlata uirtute gaudet, et iudicem solum habere lætatur Deum. Famæ rumores ridet consciētia recti. Animum disciplina componit, et populi non poscit applausus. Facti laus minuitur sermone iactantiæ. Venduntur tunc opera verbis, et claritas actionum in fabulas desinit. Confertur mendaci iactator, cui vera quoque dicenti non creditur. Non mediocris honor est, titulus integritatis occultæ. Accusatorem nec intus, nec foris habet. Apud Deum plenè refulget, et inter malignantes innocentiæ candore rutilat incorrupto.

Violat fidem ambitio.

IVstitiæ plenitudini rarò satisfacit, potestatis plenitudinem appetens. nō facit, quod decet, qui facit, quod potest: quoniam humana potestas sępe cum ęquo non conuenit, et honestum non est plerumque quod licet. Non vult prodesse, qui vult pręesse. Gloriatur nō vt melior, sed ut maior. Alieno splendore lucet, ut Luna, et fulgere peroptat solus, vt Sol. Causa furoris ambitio est, discordias excitat, et amicitiæ violat leges. Cæcat animos hominum, et cupiditatibus metam non ponit. Ambitiosi sanè sunt similes nubibus, quæ sine aqua, circumferuntur à ventis. Leues sine pondere sapientiæ gaudent transire de loco ad locum, et dummodo ascendant in altum, agitationum non curant incommoda.

Vbi

Vbi plus est potentiæ, ibi frequenter minus est actionis.

RArò est plenitudo iustitiæ, vbi potestatis est plenitudo. Quando non diffidet cum potestate iustitia? Interdum quò plus est potentiæ, eò minus est rationis. Quod licet, non semper decet, et quod decet, non semper expedit. Non sunt ijdem gradus honorum, ac gradus virtutum. Comparatur authoritate licentia, suadetque licentia luxum. Cinere conspergi non solet caput, quod potest auro nitere: nec corpus castigari cilicio, quod inter illecebras purpuram induit. Quis est, qui leges accipiat, cùm det? Qui uiuat secundum leges, si solutus sit legibus? Est beatitati finitimus, qui potest transgredi, et non transgreditur, facere mala, et non facit.

Ad Principes, et Iudices.

PRrincipes, Iudices seruare cunctos docete uos fidem, et testem habete Deum. Pendet à vobis vniuersa plebs hominum. In vestris operibus legunt populi sanctiones, et iura. Sancti sunt populi, si sanctitas lucet in vobis. Vt sidera fulgere discunt à Sole, mores Vulgus apprehendit à Principe, vel à Iudice. Pręsidetis, ut patres, à quibus filij duntaxat accipiunt disciplinam. Quid facient filij, quod patrem non viderint facientem?

tem? Maiorum flagitiosos excessus semper usurpant hæredes. Nunquam generosus est miles, quando uilis est dux. Quale nefas caret exemplo? Recordamini vos intus marcescere luto, qui foris splendetis auro. Mementote uos tandem putrefieri sub tumulo, qui modò superbitis in Solio.

A' iudicio repellendus est amor, ablegandum est odium.

NEc amorem, nec odium, sed legem tãtummodò seruant in pectore Iudices. Lex, cuius anima est ratio, nec amoris, nec odij consortium patitur. Genita est uno partu cum veritate, et parum differt à luce: inimica malitiæ errorum tenebras effugat, et ad communem spectat vtilitatem. Impiorum coercet audaciam, et inter improbos innocentiam tuetur incolumem. Lege mandante non est in iudicijs acceptio personarum, et de diuite non agitur aliter, quàm de paupere, nec secus de domino, quàm de seruo. Quæstus neminem lædit, et munera sapientiam nõ excęcant. Non seueritatis, non clementię exquiritur laus, sed deliberatione perpensa, quicquid expostulat causa, statuitur. Discite iustitiam, Iudices, qui terram iudicatis, et erudimini? Ignorantia iudicum plerumque est calamitas innocentis.

Plus inflant honores, quàm scientia.

In-

INflat ſcientia, ſed plus inflãt honores. Ab honoribus venit pes ille ſuperbię, quo premere terram reſpuitur, et petulanter ambulatur in magnis. Honores extollunt ſupercilium illud, ſub quo tot libidines latent, et totus terrarum orbis uitiorum odore corrũpitur. Non ſemper ſunt prœmia virtutum honores. Verus cecidit rerum honor, ex quo pecunia conclamata regina eſt. Idcircò nemo ęſtimatur ex æquo: Habentur pretio fortunę mendacia, et ſępe renunciantur honoris uaſa, quę ſunt contumelię. Longè nunc diſtat templum honoris à templo virtutis. Parturit virtus fidem, et obliuiſci principia nequit, ubi pauper incedit. Gaudet incedere pauper, et nuda, quando poſſidet vniuerſa terrarum. Honorum eſt amittere ex animo curarum originem, et parentum ſimulacra delere. Naturam, et mores mutant honores. Auferunt intellectum, et ex improuiſo iumentis comparant hominem. Vera felicitas adeſt, ubi caleſcit charitatis ardore ſcientia, et arrogantię titulos negligit.

Efficacior eſt poteſtate voluntas, et gratius eſt uelle, quàm poſſe.

CAdit à voluntate poteſtas, quoties poſſe non ſequitur velle. Efficacior eſt poteſtate voluntas, et gratius eſt uelle, quàm poſſe. Infert poteſtas laborem, voluntas amorẽ. Ab illa prouenit motus, ab iſta quies. Poteſtas explicat, quę ſunt foris, voluntas aperit,

quę sunt intus. Ponit vna seruitium, altera prębet obsequium. Patet in una vis, in altera cernitur animus. In vna ostenditur terminus, in altera principium declaratur. Voluntas se iactat paratum habere cor, et a fide non distat, etiam si uacet ab opere: Potestas operi studet, fastu lętatur, sed fidelis semper non est. Placet plus minimum, quod proponit voluntas, quàm maximum, quod apponit potestas. Attenditur votum, non donum, et creditur pretiosius, quod latet interius, quàm quod tot testibus constat exterius. Opus exhiberi non potest, nisi probetur dilectio.

Perniciosa est societas mala.

BOnus non est, qui pessimis melior est. E' pessimorum communione boni deduci nil potest. Difficile est picem tangere, et non inquinari, consors esse malorum, et malitiã non induere. Quo studio, cùm tota massa corrupta est, frumentum seruabitur modicum? Æuum inter pessimos ducere, pessimum crimẽ est. Vbi omnes sordent, quis vixerit integer? Semper loci fert secum odorem, qui tabernã incolit vnguentariam. Perniciosa res est societas mala. Socius draconum columbę simplicitatem non habet. Latronum coniunctio scelerum conficit pactiones. Quicunque vult esse bonus, init societatem cum Christo, et à generatione mala se seruat. Manere scit nullam è morũ diuersitate concordiã, nec quid in mũdo decere, prẹter honestatẽ, et rectum.

Opti-

Optimorum, et pessimorum confusus est ordo.

SEmper optimis mixta sunt pessima. A' mundi primordijs optimorum, et pessimorum confusus est ordo. Concurrũt meliora cum prauis. Pugnat cum nocte dies, et quęrunt tenebræ gloriam lucis. Non erubescit contendere miser cum forti, obscurum, cum claro. Interdum bonorum insignibus honestatur indignitas. Turpitudine paupertatis plerumque inquinatur honestas. Quęritur aurum in luto, quando placet optimorum electio. O' quoties appellatur nomine Dominus, qui seruus est animo! Acclamatur literarum magister, qui nec discipulus esse spiritu potest! In singulos dies regale decus appetunt spinę, et inter oues enatant lupi. Optima tandem à pessimis secernentur in emporio ueritatis, cùm patefiet è cœlo duntaxat optimum descendisse, et quodque pessimum erupisse ex inferno.

Ætas senum, vita immaculata.

DEcet vitę munditia senectutem. Non licet seni, quod iuueni licuit. Acerbitati semper inimica maturitas fuit. Quando dies abiere licentię, accessere munia temperantię. Honor senectutis impatiens turpitudinis est. Par est, ut canities capitis candori congruat cordis. Dolosa res est internis ex-

terna

terna non respondere. Ætas magistra prudẽtię, inuentrix consilij, qua patietur pollui labe? Cui parcet labori, ne ruat in lapsum? Ad mentis perfectionem festinat. Genibus trepidat, sed animo uiriliter agit. Caliginem sentit in oculis, sed serenitatem experitur in intellectu. Rugis non lęditur faciei, quando manus extendit ad fortia. Annis magnificentiam spirat, et morum grauitate portendit imperium. Gaudet incorrupto sensu peregisse viam difficilis sęculi.

Ludit fortuna cum vitio, sed virtutis est sequax.

SEquitur fortuna virtutem. Quem ducit virtus, comitatur fortuna. Neminẽ ante alios extulit ad honores fortuna, quem ante alios prius ad merita non extulerit virtus. Is maximè titulis excellit, et opibus, qui virtute plurimum præstat. Eius corpus nec ostro nitet, nec auro, cuius animus virtutem aliquam non induerit. Neglectum non facit regina virtutum iustitia. Caret nihilo prudens. Parat diuitias robusta manus, terrarumque orbem gubernat frugalitas vniuersũ. Ludit interdum fortuna cum vitio, quando inter turpitudines eligit improbum: quando muneribus auget immeritum, frontemque coronat indigni. Tunc inconstans, tunc fragilis, repentè cùm clarat, obscurat: ex improuiso, quem eligit, deprimit. Promissa intercludit, et pro breui fauore pœnas exigit diu-

diuturnas.

Parit infidelitas negligentiam.

SPecies infidelitatis est negligẽtia. Inimica laboris gloriam nec captat, nec gratiam. Corrumpit animum, et diuitias non adornat. Disciplinam contemnit, et mandata non implet. Impetus, et ardoris ignara torpet, et ad quodlibet opus oscitanter assurgit. Nec eligere, nec distinguere scit: nec appetere, nec exequi callet. Oritur è contemptu, et comitem vult habere socordiam. Lucrum nunquam affert, et primoribus labijs cuncta degustat. Virtutes salutat à limine, et nihil agnoscit, nisi per nebulam, aut per somnium. Moras auget, non rumpit. Semper cunctatur, et in omnibus dubitat, rationis inops, salutis incapax. Aut dolenter, aut repugnanter erũpit in actum, et actum plerumque efficit imperfectum. Non est in spe, et nouitatem non amat. Aures habet, et non audit: oculos, et non videt. Nullo sonitu famę pulsatur, nulla iustitię luce pręcingitur.

Iucundus est labor beneficium præparans.

LAboris solamen est prœmij spes. Non est sine dulcedine labor, qui præparat beneficium. Iucundus fit cursus, cuius finis est gloria. Partus laboris semper vtilitas extitit. Carceres, vincula, sitis, esuries placent, vt

instru-

instrumenta coronę. Persuadent gratiarum exempla sudores, vigilias, vitę discrimina, sanitatis incommoda. Suauis est pręteritarum ęrumnarum memoria, cùm disseritur de triumpho. Amorem metitur labor, et amor sibimet ipsi laboris honorabile pretiũ est. Nõ secus ac corpus alitur escis, animus nutritur honoribus. Neminem tædet elaborare pro munere. Studio venationis innato tenerę cõiugis immemor pernoctat in niue venator, et in montibus vri se patitur. Allectus amore lucri mercator fluctus pelagi findit, et quietẽ audet pacisci cum ventis. Sine emolumento elaboratum opus non est. Nisi apud Tyrannos humanitatis ignaros, rarò accidit inter homines impar labori merces.

Desistere ab opere incepto pusillanimitas est.

ONeri assumpto renunciare, pusillanimitas est. Aut torpet, aut mente deiectus est, qui incepto desistit ab opere. Malitiæ cõparatur ignauia. A' culpa non distat inscitia. Ex imperfecto proposito gignitur torpor, et præcognoscens in torpore quietem, ad laborem excitari non valet. Defectionem sanguinis sentit, et metu correptus vult, et non vult. Mater desperationis inscitia est, libenter admittit errores, vt cæca, et conscia fortasse primæui peccati, pudore suffusa rubescit, et deficit. Vtriusque deformitates pusillanimitas experitur. Peior est quietis, quàm laboris ambitio. Plerumque labor gloriam pa-

rit,

rit, quies raro tranquillitatem. Omnis anima otiosi in desiderijs est. Decet hominem labor, nam ad laborem est natus. Malè poscitur quies, vbi tota hominum vita tentatio est. Inquieta est ipsa quies in mundo, si semper est fallax. Illic tantum est vera, vbi pectori nihil insidet, nisi Christus: nihil sonat in ore, nisi, quod sanctum est.

Barbaris nulla fides.

IGnorant barbari fidem. Ne bene agant, intelligere nolunt, et scelerato feruntur impetu. Tonitrua imitantur in verbis, feras in moribus. Actus pra monstrant omnes sçuitia delibutos. Gratiarum officia negligunt, nec benefacta distinguunt, nec merita. Nec legi, nec disciplinæ unquam mancipant animum, et tempus in omne virtutum ornamenta fastidiunt. Promittunt, vt fallant: peierant, vt decipiant. Violenti violant instituta naturæ, et sine ulla spe vitæ præcipites aduolant ad interitum. Idem censent diligere, et ledere: blandiri, et furere. A ratione semper abhorrent, illorumque mentibus nullus impendet terror. Conscientiæ testimonium non agnoscunt, et omnem probant improbitatem. Apud inferos pœnas luent. Pœnas illis condignas terra non habet.

Fidem Tyrannis ignorat.

Nul-

NVlla est in tyrannide fides. Calumniarum amica tyrannis cęlat in vocibus fraudes, mendacia colorat illecebris, et auiditate prędandi cęcatur. Ciuiles alit discordias, et quęstuum magnitudinem spectat. Dolos serit, vt metat clades. Expellit candorem è cordibus subditorum, in quorum frontibus pudorem residere non sinit. Fontes iubet arescere sapientię, et è regni finibus veritatem eliminat. Populorum cruore conculcat hostes. Modum non adhibet, nec mensuram, confunditque ciuium gradus, et merita. Nullos admittit virtutum splendores, conaturque omnem mulctare libertatem exitio. Loquitur anceps, et ambulat in circuitu. Cupit inconstans, et furiarum exardet incendio. Sęuit, desipit, furit. Ruit in peius, et inops consilij catenas molitur iniquitatum. Intuetur, et fulminat: minitatur, et necat. Mortem euomit osculis: eructat exitium beneficijs. Aperit natantes oculos sanguine: Arroganti Supercilio tumet, et squalentem patefacit vultum internę pestis interpretem. Æquè inflammatur in bonos, ac concitatur in improbos. Iudicat pariter nefas, ac fas. Olet ex omni parte malitiam, et legibus, et potentia ad libidinem, et ad quęstum abutitur.

Malum, et bonum simul esse non possunt.

MAlum est boni priuatio. Abest bonum, vbi malum est pręsens. Quicquid non est lumen, tenebrę sunt, et quicquid bonum

non est, malum est. Malum, et bonum simul habitare non possunt. Anima impij desiderat malum, et fugat de mente iustitiam. Appetit nocitura, et perfidis cogitationibus ęstuat. De malo ad malum egreditur, et diuinę cognitionis est expers. Fontem deserit aquę viuę, et cisternas eligit dissipatas. Festinat in omne nefas, aduolat in omne flagitium, deterior flammis, immitior feris. Tenebras ostentat, vt lucem, et pręceps in interitum ruit. Angues alit in sinu, et euomit venena per os. Calamitates excitat publicas, et omnem patrię diruit statum. Imperitię genus est, versari in malo, et scientiam ignorare salutis. Callere perditionis vias, et auxilium desperare de sancto.

Cruce Christi dissoluuntur iniurię.

Finis iniurię beneficium non est. Solum vulnera medici secum afferunt gratiam. Vulnera diligentis semper sunt ad salutem: oscula verò odientis semper sapiunt vltionē. Rarò è forti manat dulcedo. Iudicio reus est quisquis irascitur fratri, quia nominis amplitudo minuitur iniuria. Conuicium in fratrem, homicidium est. Conuicio affecti fama vulneratur ad mortem. Vnum iniuriarum remedium est, iniurias cruce Christi dissoluere, et iniuriarum memoriam in sanguinis Christi copiam mergere. Offensi personam Christus assumit, et ait, qui vos spernit, me spernit. Gaudentes baiulate vos crucem: ad me spectat vlcisci. Quot in mundo vos accipitis con-

tumelias, tot in cęlo vobis pręparo palmas. Gloria cęli est ignominia Mundi.

Inimicis nulla fides.

INimicis pręstare fidem nulla lex iubet. Qui pluries indignatus est gratis, abrogat sibi fidem. Quantumuis pro Christi mandato inimicus sit diligendus, attamen authoritate sanctorum cauendus est semper. Ignoscatur, et beneficijs cumuletur, sed ad dexteram nostrā non inueniat locum. Pręsente colubro tutus dormire quis potest? Nunquam cogitat rectè. Spargit lachrymas aliquando, sed vbi aderit temporis opportunitas, deuoratòr fit sanguinis. Simulat fauum in labijs, et deceptiones machinatur in corde. O' quot latent sub voto pietatis insidię! Visum est olim prosilire e ligni mole impietates, quas parare nec poterat ferrum. Pessimum inimicitiæ genus est, sub amicorum aspectu fraudes componere simultatum. Si nullus habetur obses, hosti reconciliato confidere, temeritas est. Inter hostes sæuissimus ille est, qui nulla iniuria lacessitus, nostrum nolitur exitium. Grandis cautio est, aduersarij semel animum percepisse. Statim ac cognitus est hostis, est victus. Magnū præsidium, quo vis frangitur hostium, iustitia est. Omnes aduersariorum impetus despicit virtus. Grauiter tulit David Ecclesiam malignantium, et sedere cum impijs noluit. Nulli, nisi Deo, fidendum est. Fidentes amicis occupat rubor, inimicis confusio. Raro proditor mutat

tat ingenium. Odit perpetuò, qui oderat sine causa. Erubesco perfidum intueri, et circumdor copia dubiorum. Olet malitiam aduersarij supercilium, et obsideor suspicionũ exercitu. Quo gressu occurram obtrectatori? Quibus oculis vale dicam insidianti? Quibus verbis hosti mentem aperiam? Alloquar fortasse crudelem? In te quiescens recumbam? Mei consilij eligam te custodem? Tecum, cui mos est fallendi, paciscar fiduciam? Annos meos tuo tradam arbitrio?

Impotentia vlciscendi, non dicitur pietas.

NOn est pietas, sed impotentia inimicis ignoscere, cùm inimicos vlcisci non valeas. Impotens æquipollet inuito. Non bene parcit, qui gladio caret. Qui pepercerit empto gladio, Christi dictis obtemperat. Scitur non velle, qui nolle non potest. E' libertate dissentiendi, consentiendi facultas patet. Non cadit sub deliberatione necessitas. Nulla est in actibus laus, si voluntas agendo sui iuris non est. Ex electione virtutis, vel vitij coronatur, vel infamatur arbitrium. Non habet locum electio, si non apponitur ignis, et aqua. Non abstinet à flagitijs, qui flagitia cõmittere nequit. Verè, et piè dimisisti, tu Dauid, improbo Semei, quando bellatoribus septus, trucidare poteras caput, quod effuderat contumelias: amputare valueras manus, quæ iecerant lapides.

Secreta reuelat, et ambulat fraudulenter infidus.

AMbulat fraudulenter secretorum reuelator infidus. Iura violat fidei, et sanctissimum amicitiæ nomen inceſtat. Candorem arcet è pectore, perficitque in mente nequitiam. Immemor gratiarum obliuione contegit beneficia. Vt faciliter fallat, pacis adhibet instrumenta. Noctu concipit dolos, et exitia parturit die. Semper fucatus mentitur, et subdolus peierat. Semper vitium à natura quod hauſit, ſtudio calliditatis amplificat. Tanta eſt illi malefaciendi inſita vis, vt eius improbitatem neceſſitas æmuletur. O'quot retrudit in animo latebras! O' quantos fouet in corde receſſus! Cælat ſub humanitate ſuperbiam: abdit ſub moderatione luxuriam: liberalitate auaritiam tegit, benignitate liuorem: induſtria obnubit inertiam, bonitate ſęuitiam. Quando ridet, minatur. Quando extendit, contrahit manum. Quādo largitur, et donat, aufert, et rapit.

Amicitia glutino Christi copulata, indiſſolubilis eſt.

ANimi bona amat amicus, non corporis, non fortunę. In tentatione non deficit, quia damnum pro amico non horret. Semper arcana tegit, et amicitiæ myſteria nunquam denudat. Officia probat, non exprobat. Poti-

us ra-

us ratione, quàm consuetudine delectatur. Vtilitatem non poscit, sed gratiam. Nescit superbiam, et parem aut facit, aut accipit. Amicitia in mundo nil maius, tantò certior, quantò vetustior. Trahit ẽ virtute principiũ, beneficijs colitur, humanitate adolescit, sed glutino Christi tantummodò copulata, indissolubilis est. Glutino Christi murus, et propugnaculum amicitia est. Christi nexu cuncta concordant in terris. Gladij conflantur in uomeres, et lanceę uertuntur in falces. Cum frigore calor non pugnat: humiditas cũ siccitate non certat. Habitat lupus cũ agno, et pardus cubat cũ hædo. Vbi charitas Christi feruet, vna omnium anima est, et vnum cor. Quisquis languet amore, quem nescit. Sentit vulnera, quæ delectant. Quisquis ab alio immortales petit amplexus, et mutuò sibi reddita deuorat oscula. Omnes amici accumbunt in mensa Christi. Simul comedunt, simul bibunt, et tale est pabulum, qualis est pastor.

Non uiuunt in fide Christi, qui Christum non diligunt.

IN fide Christi non viuimus, si non diligimus Christum, qui pro nobis est mortuus. Charitatis expertes in ipso non mouemur, nec sumus, et contra in nobis ipse nec mouetur, nec est. Obliuiscimur illum serui formam accepisse mortalem, pro quo fruimur libertatis operibus, si laxas habenas tra-

dimus sensibus. Negamus illius caput spinis præcinctum, vt discamus inter lilia pasci, si lasciuientes per prata coronamur nos rosis. Inficiamur faciem speciosi præ filijs hominũ sputo fœdatam, vt virtutum pulchriora seruemus in animo, si extollimus ad arrogantiã supercilium. Non meminimus Regem dolorum deuorasse tot pœnas, ipsumque nostros sustulisse languores, si pessimè feriati torpemus, et præcipites post voluptatem abimus. O' quàm clarè nos fugit, omnia rerum Domino violato facta iam esse prophana, et nullam cœli, terrarumque partem caruisse portento, si in lachrymas obstinati nõ soluimur. Rigescimus, obdurescimus omnes. Nostros animos fides Christi non pulsat. Tu potes, Paule, solummodò dicere, viuo in fide filij Dei, qui dilexit me, et subdidit semetipsum pro me. Tu, qui, cùm viuebas, non eras ipse, cùm viueres, sed Christus viuebat in te. Qui quotidie moriens cupiebas dissolui, et esse cum Christo. Qui mundi pretiosa censebas vilia, et mundo crucifigi gaudebas. Qui Christi stigmata portans in corpore, gloriabaris in cruce.

Impius nihil censet amicum.

IN amicitia firmamentum stabilitatis est fides. Vana, et fallax est amicitia, si fides abest. Nulla sunt beneuolentiæ vincula si iusiurandum negligitur, et religio paruipenditur. Nihil impius habet amicum: animam

cum


cum nemine seruat communem, nulliq. cordis arcana communicat. Sequitur in cunctis operibus quæstum, et beneficiorum necessitudinem nescit. Illecebrarum loquitur verbis, et in die necessitatis non permanet. Venenatæ sunt blanditiæ perfidorum. Simulant spondere, quod negāt. Audent laudare, quod uiolant. serenitatem ostentant in fronte, et procellas fouent in corde. Fauorem promittunt, et perniciem inferunt. Monstrant iuuare, cū necant. Tutior est serpentum, atque ferarum aspectus. Agnoscunt beneficia feræ, et mitescunt. Nullis verò meritis perfidorum lenitur impietas. Non omnes sciunt, quàm pulchra sit fides. Fidem ignorant mali homines importuni. Vincuntur à mundo, et vitiorum subduntur imperio. Cui præstat fidem superbus, qui mortalitatis oblitus, cœlum supercilio sustinere se iactat? Cui credit auarus, qui auri cupiditate cæcatus quæcunque contemnit religionis officia? Seruit infamiæ libidinis seruus, et quò peior est animo, fit deterior moribus. Gaudet aliorum exitijs inuidus, et benegestorum susurrat malitiosus interpres.

Fide augentur ciuitates, et regna infidelitate deficiunt.

AVget populos fides, funditus delet infidelitas ciuitates, prouincias, regna. Sublata fide quid restat in terris? Nihil est stabile, quod est infidum. Dictorum, et commentorum frustra quæretur constantia, et ve-

ritas, si fundamentum iustitiæ defecerit fides. Nullus est splendor in rebus, si iustitiæ lumé abest, Itur per tenebras, et occupat vniuersũ obscuritas. Humana societas agit in fide radices; qua vacillante dissoluitur, et pertinaciter solitudinis consectatur incommoda. Oritur ex infidelitate diuisio, sequiturq; diuisionem seditio. Confestim tunc expellitur quies, et agitat vnumquęque tempestas. Confunditur ordo, et nemo viuit in tuto. Erumpũt undequaq. pericula, et omnes postremum desperatam in fugam se conferunt.





AD-

AD LECTOREM.

CRedidi, propter quod locutus sum. Cōticet, qui non credit. Non est custos religionis silentium, si ad salutem necessaria est oris confessio. Asserendus est vnus Deus, cui prolem non denegat vnitas, et vtriusque communi afflatu amor spiratur æternus. Quibus, (quantumuis sint tres, et sua quisquis certo discrimine exerceat munera) est vna natura, vna voluntas, vna potestas. Fatendum est in Deo inueniri principium sine principio, agnoscique terminum sine termino. Non dari in illo nec heri, nec cras, nec admitti præteritum, nec futurum. Nunquam ab illo labi vel nunc, vel hodie, et apud illum non esse nec ante, nec post. Decantandum est permanere Angelorum cohortes in cœlo, et Satanam, eiusque sequaces cecidisse de cœlo. Amictam Sole apparuisse Mulierem, quando veritatem perspexit vtraque generatio legis, et gratiæ. Rorasse desuper cœlos, quando è nubibus depluit iustus, qui mortis suscipiens seruitutem, hominibus vitæ æternæ tribuit libertatem. Peruulgandum est, Ecclesiæ pulchritudinem in Christo habuisse primordia, quo deficiente sunt cuncta deformia, et Iuueniu-

venustatis ulla non est. E' cuius aspectu totius mundi demanat salus, et renouari rerum vniuersitas apprehendit. Philosophorũ respui dogmata, et vestigia sum secutus Apostolorũ. Christi doctrina elementorũ consideratione nõ indiget. Humanas flocci facit argutias sãctorum agnitio. Stultitia est sapientia, qua mundi sapiẽtes tumescũt. Qui fidelis est Domino, noua, et uetera seruat, aura leni Spiritus sancti mortalium pelagus nauigat, et retia semper laxat in partem dexterã. Abij postmodũ in excessum, et mendacem nactus sum omnem hominem. Obmutescere nequij, et in malitiam hominum coactus sum inuehi. Necesse est dentium infrendere fragoribus, vbi violari spectantur instituta naturæ, labefactari virtutũ laudes, et desinere mores in scelera. Abstineri à furore quis potest, cùm cernit in terris imperare impietatem, exultare arrogãtiã, triumphare libidinem. Semper in dies memor est popilus facinorum perfidorum. Hic enumerat fraudes, et dolos in pupillos, et viduas. Illic indicat terram cruore adhuc madentem innocuo, et vas iniquitatis inuitò veneratur, vt vas honoris. Hic pudicitię describit iniurias, templorumque manifestat euersiones. Illic in uniuersum scientiarum genus grassari testatur coloniam vitiorum, et ipsum aerem pestilentiam redolere. Expallescunt tot criminibus sidera, et tremulis radijs coruscare dediscunt. Pudefiunt tot flagitijs elementa, et diuturno succensa furore munifica apparere indignantur. Sed quò feror? quò

me

me ſæculi ferrei irritat impietas? voluam iterum ſtylo pungentiore temporis huius iaculaturus improbitatem. Intereà vale benigne Lector, et ſi quid hic factũ, dictumue ſit cõtra Sanctorum Patrum ſcita, infectum, indictumue ſit.

Index

INDEX NOTABILIVM.

A

Arbor

An-

B

inuen

C

Cha-

tionis

E

F

G

H

Hu-

I

L

M

Mors

Ma-

N

O

ſœcu-

P

Per-

Pau-



ritus

R

S

eua-

T

V

Ver-

Vo-

Z

LAVS DEO.



